



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

17762


IN PANEGYRICOS LATINOS

STUDIA GRAMMATICA ET CRITICA.

SCRIPSIT

ROBERTUS NOVÁK.

(EX EPHEMERIDIS „ČESKÉ MUSEUM FILOLOGICKÉ“ VOL. VII.
COMMENTATIO SEORSUM EXPRESSA).



PRAGAE 1901.

TYPIS SOCIETATIS „NÁRODNÍ TISKÁRNA A NAKLADATELSTVO“.

SUMPTIBUS SCRIPTORIS. VENDIT A. STORCH FILIUS.

£72

Salisbury fund.

Aem. Baehrensium de panegyricis Latinis apparatu critico, quem adiunxit suae eorum editioni, bene meruisse vix quisquam erit qui negare velit. nam et subsidia critica insigniter auxit, recuperato praesertim codice Upsaliensi (**A**), teste praeter ceteros memorabili, et lectionum varietates satis apte digessit, pensitatis omnibus, quotquot tum comparebant, codicibus duplicique libri Maguntini (**M**) stirpe detecta,*) ita ut magna ex parte firmum solidumque recensionis fundamentum iactum esse videatur. verum in ea re erravit Baehrens, quod non perspexit ex eodem quo A fonte manasse Bertiniensem et si qua meliora quam A haberet, ea merae coniecturae librarii, non exemplaris praestantiae deberi. neque tamen tanta laude emendatio eius est digna. ut enim concedamus salubrem eum quibusdam locis aegris attulisse medicinam aliosque, si non sanasse, vitiosos tamen esse primum ostendisse; ut eodem addatur cum cura eum aliorum studia critica percensuisse inque usum suum satis eleganter convertisse: tamen multo plura in editione eius extant ab eo novata, quae vituperanda sint minimeque probanda.

Ac plerosque ex his erroribus eo potissimum admisit Baehrens, quod non satis cognoverat horum oratorum sermonem artemque. nam plerumque ignarus, quae ii constanter in oratione sua vitassent quaeque sedulo sectati essent, haud raro, cum sententiis modo et codicum apicibus satis facere studeret, intulit illorum verbis ea, quae prorsus sunt ab iis aliena atque ideo procul habenda. sed subtilior illa elocutionis artisque cognitio etiam ad aestimandas recte codicum

*) Mox sane mutavit sententiam, tria M apographa statuendo. sed Harleianus (**H**), quem ex M ipso scriptum iudicavit, ex A, quantum ex eius adnotatis (Rhen. mus. XXX 464) conicere licet, videtur fluxisse.

familias est utilis, immo necessaria. quod si ea quoque Baehrens instructior fuisset, haud dubie aliquanto plus alteri *M* propagini prae *A* et Bertiniensi codicibus tribuisset et inde aliquot lectiones bonas recepisset, quas sprevit in sua editione. item ea quae Bertiniensis solus suppeditat magis sobrio iudicio examinasset nec tam facile in verborum ordinem recepisset. accedit, quod prorsus sana interdum mutavit. quare multis locis eius editio etiam lectiones deteriores habet quam quae editionibus superioribus ferebantur, ita ut edituro has orationes id prae ceteris agendum sit, ut reponantur scripturae, quas non merito Baehrensii exturbavit ignorantia. hoc non ego primus animadverti, sed iam ante alii quadam ex parte viderunt dixeruntque, velut imprimis Vindobonenses Car. Schenkl (cf. Wien. Stud. III [1881] p. 118--130) et Car. Im. Burkhard, qui diligentius quasdam sermonis horum panegyristarum proprietates observavit erroresque aliquot Baehrensii coarguit (cf. Act. sem. phil. Erlang. III [1884] p. 161—187; Wien. Stud. VIII [1886] p. 170 sqq.; IX [1887] p. 171—174).

Quantum valerent observationes grammaticae ad verba horum oratorum recte constituenda, vel his ipsis curis Burkhardi clarum est factum. nam de compluribus locis incertis stabiliri illis potuit iudicium et genuina scriptura investigari. post Burkhardum copiose in elocutionem panegyricorum, excluso Pliniano, inquisivit Georgius Chruzander, qui ante hoc quadriennium Upsaliae librum utilem, cui inscriptum est „de elocutione panegyricorum veterum gallicanorum quaestiones," edidit. nec silentio praetermittendae Richardi Goetzii „Quaestiones Eumenianae" (Halis Sax. 1892), ut quae observationes quoque de sermone horum oratorum contineant non spernendas.

Ita multo magis sermo panegyricorum eorum nobis innotuit. sed nequaquam omnia, quae huc pertinent et scitu utilia videntur, sunt explicata ac proposita; non pauca alia sunt observanda et colligenda. itaque, ut via inita procederetur, ipse quoque in explorando loquendi usu horum oratorum aliquantum operae posui praecipueque ea sum persecutus, unde ad criticam, quae hac ope etiam nunc non nihil indiget, emolumenti aliquid redundaturum sperari potuerat. quae hac in re inveni, infra propono. commemoro tamen exemplo Chruzandri me non respexisse panegyricum Plinianum, utpote cuius latinitas valde differat a ceteris undecim panegyricis, qui conscripti sunt et aetate multo posteriore et ab hominibus Gallis, non Romanis.

Verum non solum grammaticis observationibus crisin horum operum adiuvare conatus sum, sed etiam aliunde subsidia eius, velut a re palaeographica et scriptorum imitatione,

conquisivi magnumque numerum locorum suspectorum corruptorumve ita pertractavi. ea quoque adversaria huic commentationi admiscere placuit. haec praefatus iam ad rem adgredior.

Ac primum quidem de codice Bertiniensi nobis agendum est. siquidem Baehrens, cum fidei eius multum tribueret, falsas ex eo compluribus locis induxit suae editioni lectiones. priusquam Upsaliensis in lucem protraheretur, alicuius esse momenti poterant, quae ex eo codice a Franc. Modio — nam ipse ad nos non pervenit — erant enotata; nunc vero secunda fortuna recuperato Upsaliensi tantum non inutiles sunt Bertiniensis scripturae, siquidem eum aut ex Upsaliensis exemplo (i. e. M) aut quo magis inclinat animus, ex ipso Upsaliensi descriptum esse apparet. nam non est verum, quod Baehrens in praefatione editionis suae p. XX contendit aliisque, quod mirandum sit, persuasit, non ex M, sed ex libro ab eo diverso eum codicem traxisse originem. ad quam sententiam confirmandam vir doctus haec adtulit: „in universum si rem spectamus, liber Bertiniensis locis plerisque cum M consentit, id quod etiam de eis quibus nihil ex illo adnotatum est statuere licet. insunt tamen illi lectiones eae quae, quoniam ex scribae alicuius · cerebello profectae esse non possunt, illum non ex ipso M originem duxisse evincant; cf. ex. gr. p. 93, 18 'oceanum' *Bert.*: om. M; p. 106, 5 'petendum' *Bert.*: 'petendam' M; p. 135, 26 'fecisti' *Bert.*: 'uicisti' M; p. 141, 26 'laude' *Bert.*: 'rep. laude' M ex dittographia". raro alias quisquam futtilioribus argumentis opinionem suam demonstrare conatus est quam Baehrens illam sententiam. nam loci, quos attulit, prorsus nihil evincunt. etenim *oceanum* et *petendum* meri sunt librarii errores, ut infra ostendam; *fecisti* non est, ut item mox dicam, certa emendatio et ad delendum *rep.* dittographum non magno hercule opus erat ingenii acumine. sed ne aliae quidem Bertiniensis scripturae eae sunt, quae ad alium ac M spectent codicem. nam aut cum eo mire consentiunt aut ab librario lectionibus eius utente proficisci facile poterant. certe, quod plurimum valet, nullam ex iis quae sunt in M lacunis explent, exceptis paucis voculis, velut *in*, *set*, *et*, quae librarius ex ingenio sane supplere potuit. maxima tamen est Bertiniensi cum A necessitudo. nam vel 150 locis conspirat cum eo, ubi altera M stirps aliam praebet lectionem. quare non mirum sit, si eum Upsaliensis stirpem esse dixeris; certe vero et ille est Maguntini progenies dicendus. sane non paucis locis discedit

Bertiniensis ab A aliisque codicibus, sed omnes hae discrepantiae evenire potuerunt librario aut neglegenter munere suo fungente aut consulto, ut corruptis litteris medelam adferret, verba A vel M mutante. atque oscitationem eius imprimis voces saepius omissae evincunt aut loco suo motae aut bis scriptae aut vicinis accommodatae. vitia autem corrigenti interdum bene res cessit, saepius tamen male evenit. velut recte scripsit is librarius III 2 (102, 26) virtu<te>s; 16 (113, 31) tantam esse (tanta inesse A); VII 7 (165, 6) fruiturus*) (futurus A); X 8 (220, 6) revellenda (revelanda A); XI 4 (247, 12) minimum (minū A); XII 11 (280, 22) nec id ad speciem (neci das speciem A); 39 (307, 5) adnisam (advisam A) al. pravae emendationis eius haec adfero specimina: II 7 (95, 9) itidem (identidem Bert.); 10 (97, 18) receperit Gennobaudes, a te vero (receperit gennobou desateh vero A, receperit Gennobonde Sathi vero Bert.); 18 (115, 25) quaero (A, credo Bert.); IV 16 (127, 20) accipi oportet, re autem atque usu delego patriae (accipi oportere autem autque usu delego patriae A, accipi oportere, at aut usu delego patriae Bert.); V 5 (135, 23) quae nobis propria sunt maxime gratulari (que priora nobis sunt maxime sunt gratulari A, que priora nobis sunt maxime scilicet gratulari Bert.); 12 (141, 2) ut iam communis poenae (A, omnis paene Bert.) timore deposito archipiratam satelles occideret; 21 (147, 22) iussu (iussupplevit A, iussu implevit Bert.); VI 8 (154, 15) falso traditum — putabatur (videbatur Bert.); VII 8 (165, 27) affuisti (advenisti Bert.); VIII 5 (184, 11) qui fortunis nemini possumus aequari (comparari Bert.); 12 (190, 1) quia vicino <tempore non> perferetur (vicino perfertur A, vicino nemo praefertur Bert.); IX 21 (209, 1) nobilium (novilium A, novalium Bert.) lavacrorum; X 24 (231, 7) capitibus applicatae (afflicate A, afflictatae Bert.); 26 (232, 27) spissis (spis A, spiculis Bert.) tenebris; XII 1 (273, 5) aspiciam (asriciam A, asciscam Bert.); 3 (273, 15) per sententias isse (per senciasisse A, persentiasse Bert.); 9 (279, 20) ut quibus ipsis (ut quibus videlicet ipsis Bert.); 36 (303, 25) continari (continuare Bert.); 38 (305, 26) obserabo (observabo Bert.); 39 (306, 14) germana (germania A, genuina Bert.); 45 (312, 14) utcumque (utrumque A, ut cuique Bert.); 46 (313, 14) in partes civium furor (in parte scium furor A, in partes furor Bert.). ut hic, ita alibi quoque librarius ille omisit quod superfluum ei videbatur aut quod expedire non poterat. hoc accidisse vides

*) Quamquam certa ea emendatio dicenda non est; nam locus legi etiam sic potest: 'ut futurus exinde <in> luce perpetua iam videret'; cf. III 14 (113, 6) 'sedens in luce perpetua'.

VI 3 (150, 13) quemnam (quem nō A, quem Bert., quemnam BCVW); X 16 (225, 29) supergressa (superegressa A, egressa Bert.); XII 42 (310, 2) illum sacrosanctumque (illum sanctumque Bert.).

Apparet facile abesse nunc posse a critico apparatu Bertiniensis scripturas praeter eas paucas, quibus librarius vere memoriam M videtur correxisse. nec minus in aperto est non recte recepisse Baehrensium complures Bertiniensis lectiones etiam iis locis, ubi tolerari potest ceterorum codicum scriptura. de talibus locis infra fusius agendum erit.

Iam de clausula sententiarum exponam; nam eam prorsus neglexit Baehrens saepiusque ita in errorem lapsus est. sane erroribus eius facile ignoscemus, siquidem nuper demum Nordeni libro comperimus, quas potissimum leges rhetores antiqui compluresque scriptores alii in fine periodorum servavissent. igitur hi quoque panegyristae in eorum numero habendi sunt, qui in fine enuntiatorum ante graviorem verborum distinctionem clausulas –́ ∪ –́ ∪ vel –́ ∪ ⏓ –́ ∪ vel –́ ∪ –́ ∪ ⏓ vel –́ ∪ ⏓ –́ ∪ ⏓ adamarunt quique ibi conclusionem hexametricam –́ ∪ ∪ –́ ∪ aversati sunt. nam illa clausulae genera apud eos sunt admodum frequentia, hoc tantum non deest. certe nihil necesse est hexametricum finem agnoscere II 11 (98, 5): consentiendo retinetis; III 7 (108, 10) ambo seniores; 18 (115, 25) quaero rationem; VII 3 (161, 28) nascendo meruisti; 20 (176, 18) nemo potuisset; 23 (179, 14) non confido placuisse; VIII 5 (235, 8) consuetudo cohibebit; IX 16 (205, 9) inchoando violaret; X 22 (229, 32) mansuetudo rationem; 28 (183, 28) longitudo tenuaret; 34 (240, 18) sero fruerentur; XII 11 (281, 13) sero reparandam; 26 (295, 12) vorago revomebat. nam finalis 'o' multarum vocum, velut earum quae sunt *consentiendo*, *ambo*, *confido*, *inchoando*, *quaero*, *nascendo* etc., horum oratorum temporibus, ut ex carminibus aequalibus patet, saepius iam corripiebatur. praeterea animadvertere licet consulto fugisse illos clausulam hexametricam vel verborum collocatione vel vocum formarumve delectu; cf. VII 13 (170, 11) in duo cornua gestit excedere (non: excedere gestit); 18 (174, 32) sequereris exercitum (non: exercitum sequereris); XI 1 (245, 1) aut ingrati esset fama subeunda (non: fama esset subeunda); XII 7 (277, 3) ipsorum etiam videamus annorum (non: annorum videamus); XII 24 (293, 7) iuvat meminisse morborum (non: morborum meminisse); VIII 3 (182, 4) crediti sunt appellarique me-

ruerunt (non: et appellari meruerunt); IX 12 (202, 11) integri acutique potuerunt (non: et acuti potuerunt); XI 26 (265, 29) fidei constantiaeque documenta (non: et constantiae documenta); XII 31 (299, 7) patriaeque fugitivum (non: et patriae fugitivum); III 19 (116, 21) locus rostra vocitetur (non: rostra vocetur); IX 17 (206, 10) gladio telove cecidisset (non: vel telo cecidisset); XI 8 (250, 32) remis ventisque volitantem (non: ventisque volantem); VII 8 (166, 11) servientes iniecere lacrimanti (non: iniecerunt lacrimanti); X 37 (243, 22) amabiliter petiverunt (non: amabiliter petierunt); XI 20 (260, 15) quod assequi nequiverunt (non: assequi nequierunt). ne existeret clausula rhythmica –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑, participio additum est *esse* in inf. perf. constructionis nom. c. inf. X 19 (228, 12): ut caelestis exercitus tui non tunc missi, sed tum demum intellecti esse videantur; XI 32 (270, 23) ut honores in me tui non — ad quemcumque delati, sed — recte positi et ratione collocati esse videantur. nam alibi praeter unum locum V 3 (134, 3) *esse* supprimitur in inf. perf. pass. illius constructionis.*)

Harum igitur rerum Baehrens prorsus ignarus aliquot locis e coniectura sententiam clausit ante fortiorem verborum distinctionem fine hexametrico. velut edidit II 1 (89, 18): hospitem constituisse *(condidisse* codd. corrupte); V 1

*) cf. IV 1 (117, 10) quod labore ac diligentia videor consecutus; 14 (125, 27) quod videtur interitu praeceptoris orbatum; 15 (126, 18) dulcedo, quam secuta quondam saxa perhibentur; V 2 (133, 27) si quidem hunc — moderatus dicitur; 11 (140, 3) ut non circumfusa oceano, sed complexa ipsum oceanum videretur; 13, (141, 8) ut — confectum omnibus videretur; VI 8 (154, 15) quod iam falso traditum de antiquis imperatoribus putabatur; VII 4 (162, 29) ut signante natura vultibus tuis impressa videatur; 7 (165, 22) ut non advectus cursu publico, sed divino quodam advolasse curriculo videreris; IX 1 (193, 10) ut — mea vox tenuis exaudita videatur; 7 (198, 17) non Transpadana provincia videbatur recepta, sed Roma; X 30 (236, 14) ut pugna raptim gesta diutius narrata quam confecta videatur; XI 18 (258, 27) nec sane mihi gratuito consul factus viderer; 19 (259, 10) gloriosius mihi universi populi suffragiis declaratus viderer; 31 (269, 17) nec respondente meritis tuis oratione usus videbor; XII 15 (284, 19) ut non pro copia sumpti, sed ex copia viderentur optati; 18 (287, 25) ut tum videantur accepta, cum spondes; 33 (301, 2) ut ab isdem saepe dicta quam ab aliquo intermissa videatur; 41 (308, 18) ut Maximus tibi nuntiaretur occisus; 43, (310, 8) ut non servata modo ultio, sed ordinata videatur; 45 (313, 3) fecisti, ut nemo sibi victus te victore videatur. — similiter res se habet in coniugatione periph.: IV 16 (127, 22) videor enim — retenturus; IX 26 (212, 25) et adhuc speretur futura numerosior; X 32 (237, 21) quo uno satis mihi videor divinam gloriam tuam significaturus; XI 17 (257, 23) iuvanda etiam a me videbatur — res publica; XII 13 (283, 1) haudquaquam facile videretur obtemperatura medicinae; 31 (299, 26) ut cum Perse aliquo decertaturus aut Pyrrho — videreris; 33 (300, 26) apud posteros videretur facti fides laboratura.

(132, 17) possem tamen recensere <e>numerando; VII 11 (169, 7) sine fine <est> documento; 14 (171, 3) irati revereri (*revereat* M); 22 (177, 30) inserere velle videntur (cum Livineio; *videantur* M); VIII 12 (190, 1) vicino tempore fertur (*vicino perfertur* M); XI 2 (246, 1) sidus es ortus (*exortus* M). praeterea X 14 (224, 4) proposuit: quae alacritas volitantum (*voluntatum* M). ego non puto Baehrensium locis iis bene consuluisse ostendamque infra, quomodo eos scribendos iudicem. neque magis credo X 29 (235, 27) Puteanum, cui C. Schenkl adsensus est, veram scripturam invenisse, cum proposuerit: 'sonat ictibus umbo: securus is (*his* M).' de eo quoque loco infra agendum erit.

Quae hic de panegyricorum clausulis rhythmicis exposita sunt, ea etiam ad aestimandam recte utriusque stirpis codicum memoriam aliquid conferre per se ipsum apparet paucisque exemplis demonstrabo. primum enim adseritur scriptura alterius propaginis V 13 (141, 6): hoc igitur bellum — ita, Caesar, aggressus es, ut — confectum omnibus videretur ('omnibus videatur' A). deinde commendatur VII 16 (173, 6) ordo verborum, qui est in BCV: 'tibi uni contigit exercitum habere (*habere exercitum* A et W) sapientem.' nam 'contigit habere exercitum sapientem', quomodo et Baehrens scripsit, clausulam hexametricam reddit. tum XI 13 (254, 10): 'solitarium cupiverunt' firmatur ita forma *cupiverunt*, quam exhibet A (cupierunt BCVW); item *petiverunt* VII 18 (174, 12), ubi *petierunt* dant BCV. eandem ob causam fortasse etiam VII 13 (170, 22) scribendum *petiverunt*, quamquam virgula, non puncto sententia dividitur.

Quod sciam, duo aut tria in his orationibus extant clausulae hexametricae ante graviorem verborum divisionem exempla. cf. XI 28 (267, 10): 'poetae ferunt altissimum illum — deum — habitu oris tempestatum incerta mutare, eius nutu mundum tremescere, illius hilaritate turbines abigi, nubes fugari, nitentia per orbem serena refundi.' sed hic locus mihi de interpolatione est suspectus. *serena* enim mihi glossa videtur pertinens ad *nitentia*, quoniam *nitentia* nudum sententiae sufficit et *serena* idem fere valere videtur. expulso *serena* maior fit trium membrorum aequabilitas. similia additamenta saepius in harum orationum codicibus deprehendi infra monstrabo.

Accedunt loci V 14 (141, 28) 'a ducibus suis gentium proveniebant' et IX 19 (207, 3) 'molimine currus inveheretur', qui sunt integri. utrobique clausula singulis, non binis, vocibus efficitur.

Tum de chiasmi usu quaedam videntur monenda. ea figura saepius usos esse hos oratores Chruzander p. 110 dixit, sed non illud addidit, parum iis usitatum fuisse chiasmum, cuius interiora membra iisdem constarent vocibus, ut est in hoc exemplo: 'curru modo, modo pedibus subsecutus'. eximendus est tamen panegyrici XII. auctor, apud quem praeter exemplum, quod modo attuli (XII 47, p. 314, 5) legitur 32 (299, 25): consiliis tamen tantis tantisque rationibus bellum administrabas; 4 (274, 25) cedat his terris terra Cretensis; cf. etiam XII 1 (272, 2): quasi parum habeam timere quod <video>, video quod timeam; 47 (314, 21) et utrumque simul vidi; vidi illum principis patrem. illi chiasmi formae aut anaphora praefertur aut chiasmus, cuius paria membra non intus sunt posita, sed extrinsecus;*) cf. II 5 (93, 25) ita cuncti Chaibones Erulique cuncti; III 11 (111, 10) vides Diocletianum? Maximianum vides? 19 (116, 1) ceterae virtutes et bona cetera; X 19 (228, 18) plenus virium, animi plenus exercitus. anaphoram habes: II 5 (93, 16) ipse pugnares, ipse omnibus locis — dimicares; 9 (96, 21) ambo nunc estis largissimi, ambo fortissimi; 10 (97, 10) tantam vim, tantam potestatem; 13 (100, 9) simul adire Capitolium, simul habitare Palatium; III 7 (108, 8) invicem vosmet imitamini, invicem vestros affectatis annos; 10 (110, 20) cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare; 17 (114, 27) ipsos Persas ipsumque regem — petit; IV 8 (122, 17) omnis industriae atque omnis laudis nutricibus; VI 11 (157, 9) illis gaudiis illisque curis; 12 (157, 30) omnes exercitus vestri omnesque provinciae; 14 (159, 25) similis aspectu, similis animo; VII 13 (169, 28) semper horreat, semper supplices manus tendat; X 29 (235, 30) auro clipeus, auro arma collucent.

Haec cum fugerent Baehrensium aeque ac priores editores, non dubitavit III 7 (108, 9) scribere praeeunte Livineio: 'sic vos geritis quasi iuniores <ambo>, ambo seniores'. quae poscitur verborum collocatio, inventa est iam a w: 'quasi ambo iuniores, ambo seniores'.

Altero loco illam chiasmi formam Baehrens de suo intulit; qui est III 11 (111, 10): 'et palam manu demonstrare: vides Diocletianum? Maximianum vides? <vides> ambos? ut pariter sunt!' hic praeter necessitatem Baehrens *vides* supplevit et *ambo sunt,* quod M habuit, in *ambos ut* mutavit. vulgata ut retineatur, etiam concinnitas loci flagitat; nam duo paria sententiarum efficiuntur: I. vides Diocletianum? Maximianum vides? II. ambo sunt; pariter sunt.

---

*) Cf. quae dixi *Spic. Curt.* p. 22—25; *Stud. Liv.* p. 86.

Restat unus locus VI 6 (152, 26), ubi illo ordine Baehrens scripsit: 'fortunatus pictor ille quisquis fuit et quamvis Apellem ipsum <et ipsum> Parrhasium scientia vicerit, materia tamen imaginis quam arte felicior.' melius eo loco legitur in codicibus interpolatis editionibusque vetustis: 'quamvis Apellem ipsum Parrhasiumque scientia vicerit'; cf. III 13 (112, 10) solem ipsum lunamque cernimus — convenire. pro certa tamen ea lectio haberi non potest, quoniam etiam 'Apellem ipsum <et> Parrhasium' h. l. esse potuit.

Iam vero de particulis nonnulla dicenda sunt, ea praecipue, quae ignota fuisse videntur criticis, praesertim Baehrensio.

Prae ceteris quaedam de particulis copulativis sunt exponenda. *atque* non solum ante vocales et *h*, sed etiam ante consonantes invenitur apud hos panegyristas positum, quamquam hic rarius quam ante vocales. sed si *atque* ante consonas collocatum est, iungit singulas voces, non integras sententias. cf. II 5 (93, 21) stipatione atque comitatu; 6 (94, 1) pugnas atque victorias; 8 (96, 5) iteratum — atque repetitum; III, 3 (104, 24) laboris atque patientiae; 6 (106, 10) pietas — atque felicitas; 9 (109, 14) hominibus atque regionibus; 19 (116, 8) pietas atque felicitas; IV 8 (122, 15) militiae atque castrorum; 9 (123, 10) Apollinis templum atque Capitolium; V 16 (143, 29) campos atque colles; VI 5 (151, 24) iustitiam atque pietatem al.*)

Cuius rei cum Baehrens prorsus ignarus esset, non dubitavit, scilicet quo lenius remedium adhiberetur loco vitioso, *atque* supplere pro *et*, quod olim ferebatur, XI 4 (247, 20): 'remedia quaerebat <atque> quia defendere admissa flagitia non poterat, in ultorem iuris invidiam congerebat'. item H. Ruehl (de XII panegyricis latinis propaedeumata p. 17) II 10 (97, 18) scribi posse putavit: 'cum per te regnum receperit Gennobaudes atque comminus (a te vero munus M) acceperit.' nec minus falsus est Baehrens XI 3 (246, 24) 'quominus <reatus> redarguerem atque convincerem eas illi in te odii fuisse causas' proponens, ubi codicum memoria integra est.

Loco horum primo quin 'remedia quaerebat <et> quia defendere' vera sit lectio dubitari non potest; nam *ac* eo excluditur, quod constanter hi oratores *ac* ante gutturales evitarunt. hoc quoque nescire videntur critici; Baehrens quidem VII 16 (173, 3) 'ratio litterariae vitae

*) Cf. quae dixi Observ. in script. hist. Aug. p. 34; Stud. Vindob. 1894 p. 248—255.

<ac> quies mitigavit' scribere ausus est, Car. Schenkl X 1 (245, 15) 'ac (at M) cum me praetoriis praefecisti' proposuit.*)

Praepositionibus raro *que* adiungitur in his orationibus nec nisi eadem praecedit praepositio: II 2 (91, 12) per totum Histri limitem perque omnem qua tendit Euphraten; III 2 (103, 6) per vicina illa caelo Alpium iuga — perque illa saxa; 14 (113, 5) supra nubila supraque ventos sedens. prorsus inusitatum est his scriptoribus *que* voci adiungere e praepositione suspensae. cum hoc quoque ignoraret Baehrens, II 10 (97, 18) scribere potuit: 'cum per te regnum receperit Gennobaudes a teque cominus (a te vero munus M) acceperit', etiam re alia non probabiliter. nam non corrupta, sed manca videtur scriptura, quam codices servarunt. apta sententia erit, si locum expleveris: 'a te vero munus acceperit <serviendi>'. cf. quae mox sequuntur: 'ostendit ille te identidem, ut audio, popularibus suis et intueri diu iussit et obsequia discere, cum tibi ipse serviret'. illud *munus* sensu *officium* intellegendum: cf. III 1 (102, 3) et dicendi munus — susceperam; IV 2 (117, 26) temporarium me dicendi munus — involare; XI 2 (246, 3) de te loquendi munus usurpent. sed nihil definio; nam et aliud excidere potuit.

Admodum raro hi panegyristae *que* cum coniunctionibus subordinativis coniunxerunt; nam praeter *cumque*, *dumque*, *utque* non invenies apud eos hoc genus alia. sed etiam haec ipsa raro occurrunt, plerumque antecedente eadem coniunctione. cf. III 3 (104, 17) cum non laborare vos, sed parentes deos videamus imitari cumque praeterea — excitarit; 4 (105, 15) dum vestigia vestra miramur dumque vos adhuc esse in conspectu putamus; 9 (109, 9) cum agros — nives premerent — cumque ipsi anhelitus — canescerent; IV 21 (131, 10) dum — revisuntur gemina — flumina — dumque sibi — animus adfingit; X 3 (215, 10) cuius cum — erexerit cumque aliae — expeditiones — amplexae sint; — III 11 (111, 15) dumque vos — mirantur; X 37 (242, 15) cumque miraretur fratrem; XII 34 (302, 19) utque se tibi posset — imputare militia. ex coniectura scripsit *ut<que>* Baehrens duobus locis IX 24 (211, 1) 'libertatis immemores ut<que> servire liceat orantes' et XI 4 (247, 9) 'ut iam barbari desiderarentur ut<que> praeoptaretur a miseris fortuna captorum', sed nulla necessitate; *ut* solum utroque loco sententiae sufficit.

Item ex coniectura, sed Livinei, scripsit Baehrens *cum-*

*) Cf. IX 21 (209, 8) otio te et quieti dedisti; 19 (207, 12) poscere et queri — et cum ingressus esses; X 9 (220, 12) et cum omnia tu scires; VI 10 (156, 20) reddidit et cum — attulisses, — clamavit; XII 13 (282, 29) et quia — luxus infecerat; 20 (289, 17) et cum — libertatem probaret.

que VIII 3 (182, 10): 'princeps Aeduus ad senatum venit, rem docuit: cumque idem (cum quidem M) oblato consessu minus sibi vindicasset quam dabatur, scuto innixus peroravit'. mihi non videtur tradita lectio damnanda. nam *cum quidem* nihil est aliud quam fortius *cum* et ut hoc nudum nihil offenderet, ita addito *quidem* videtur ferendum. cf. III 1 (102, 18) quoniam quidem lustris omnibus praedicandis communis oratio est; XI 19 (259, 24) vix pauci extiterunt, quorum virtutibus deferretur, cum quidem ipsis illis tarda industriae ac probitatis merces veniret.

Et = *etiam* admodum parcus est apud hos scriptores usus. nam non plures quam hi loci conquiri possunt eum exhibentes: III 14 (113, 12) quid enim mirum, si, cum possit hic mundus — Iovis esse plenus, possit et Herculis? V 12 (140, 27) nam et accesserat diuturna sceleris impunitas; 16 (144, 5) adeo verum sibi dixerat morte vicina, et interfectum se nolle agnosci; VII 10 (168, 10) adeo et hoc boni confert poena hostibus irrogata; 20 (176, 24) di te vindicant et invitum; 22 (178, 4) dabis et illic munera, constitues privilegia; IX 1 (193, 9) et ipse aliquid coner effari; 17 (286, 24) quibus et amici possent esse contenti; X 3 (215, 21) sed non et cura mediocris; 30 (236, 23) nisi et ipsa lascivit oratio; XII 2 (272, 17) quin et illud me impulit; 29 (297, 17) fuit et hoc delatorum genus; 44 (311, 12) di te vindicant et invitum. vides plurima exempla in septimo et ultimo panegyrico extare, non raro *et* (= *etiam*) pronomini additum esse.

Dubius est locus IX 3 (194, 31), ubi Baehrens scripsit: '<at> et ipse — videbatur prospere refugisse'; nam etiam 'at ipse — refugisse' sincera lectio esse potest, praesertim cum in praecedentibus *et* M ex *at* videatur ortum esse.

. Nec magis firmum est *et* = *etiam* IX 21 (209, 13), ubi ex P. Danielis opinione vulgatur: 'statim bellum auspicatus a Tiberi ad Rhenum, immo (ut omen et similitudo nominis, sic [sit M] et tua, imperator, magnitudo animi pollicetur) a Tusco Albula ad Germanicum Albim prolaturus imperium'. nam ibi *sit* ex dittographia 'nomini*s set et*' potuit provenire et vera lectio potest esse: 'immo, ut omen et similitudo nominis et tua, imperator, magnitudo animi pollicetur, a Tusco Albula — prolaturus imperium'. haec loci forma magis adseritur horum oratorum sermone; certe nusquam apud eos invenias *ut* — *sic* in parenthesi. delebant autem illud *sit* iam Acidalius et Livineius.

Quem ad modum *et* = *etiam* raro apud hos scriptores legitur, ita tantum non ignorant *nec* sensu *ne* — *quidem*; nam bis omnino *nec* apud eos sic scriptum, XII 16 (285, 28): quo plus nec patri praestare potuisses; 41 (308, 13) sed nec tu — abiuras.

Transeamus ad particulas explicativas causalesque. ex iis primum *quippe* in medium veniat, quoniam hoc saepius e coniectura perperam scripsit Baehrens apud hos oratores. quo manifestius errores eius appareant, proferemus omnes locos, quibus illi hac particula tamquam explicativa certo sunt usi: II 5 (93, 22) toto quippe proelio ferebare; IV 12 (125, 1) quippe hoc ipso proelii gloria continetur; 19 (130, 8) quippe — nulli unquam antehac principes — coluerunt; V 3 (134, 11) Partho quippe ultra Tigrim redacto — gubernacula maiora quaerebat — res publica; 4 (134, 21) quippe isto numinis vestri numero summa — nituntur; V 18 (145, 11) recursabat quippe in animos; VII 19 (175, 11) quippe olim Graecos — docuit; 19 (175, 27) quippe tanta fiducia — invaserant; 23 (179, 10) multi quippe ex me rivi non ignobiles fluunt; IX 8 (199, 3) quippe Athesis ille — oppugnationem prohibebat; 9 (200, 6) toto quippe impetu ferebare; 14 (203, 9) quippe ipsa se — obsidebat; 16 (205, 1) quippe — annonam congesserat; XI (213, 13) iactat quippe se nunc — devotio; 3 (216, 3) rapitur quippe — natura; 4 (216, 19) quippe indoles similis est; 8 (219, 24) iamdudum quippe praevideras; 9 (220, 25) nulla quippe est libido tam vecors; 22 (238, 16) nil quippe est immoderatius; 35 (241, 4) placidam quippe rerum quietem — condiderunt; XI 21 (261, 13) quippe ei — quod periculum est? XII 11 (280, 24) quippe aberat causa fingendi.

Hinc duas res discere possumus, primum hos scriptores *quippe* ad inducendas integras sententias posuisse, nusquam participiis vel singulis verbis addidisse, deinde plerumque primo, rarius secundo, nunquam alio enuntiati loco collocasse. quorum utrumque Baehrens in sua editione neglexit; nam *quippe* ex sua opinione pro *que* scripsit vel his locis: IV 15 (126, 27): cuius nutum, promissionem q u i p p e (que M) firmantis, totius mundi tremor sentit; VII 8 (166, 17) illa, inquam, illa maiestas, q u i p p e (que M) Iovis oblata nutu, — tam facile te comitata est; IX 21 (209, 1) obliti deliciarum circi maximi et Pompeiani theatri et nobilium lavacrorum Rheno et Danuvio q u i p p e (que M) praetendunt; X 26 (232, 27) cum spissis tenebris q u i p p e (que M) congressu <facto> Fortunae totum liceret. omnibus his locis *quippe* falsum est. omisso *que* recuperabitur ibi vera lectio excepto loco tertio, ubi *et* ex antecedentibus iteratum videtur et *que* genuinum esse.

Semel relativo *quippe* additum legitur, X 19 (228, 20): laetus armis et militiae munia exequens studio magis quam necessitate, q u i p p e c u i stipendia s u n t (sint A) pauciora quam proelia. quo loco Baehrens cur non auctoritatem A, qui coniunctivum *sint* habet, secutus sit, satis miror. nam

is coniunctivus eo veri similis fit, quod hi oratores eum modum post *ut qui* constanter adhibuerunt: VII 12 (169, 15) ut qui palam congredi maluisses; XII 9 ut quibus — iugera artata pomerio vomere essent — versanda; 30 (298, 20) ut qui se non potuerit postea vel victus occidere.

Semel *quippe* causali *cum* adiectum reperitur, VII 13 (170, 1): quippe cum totus armatis navibus Rhenus instructus sit et ripis omnibus — dispositus miles immineat.

Nusquam neque relativo neque *cum* causali additum inveni *utpote*; hoc semel omnino occurrit, iunctum cum appositione, IV 8 (122, 11): litteras omnium fundamenta esse virtutum, utpote continentiae modestiae vigilantiae patientiae magistras.

Praeter *enim* etiam fortioris particulae *etenim* aliquis est apud hos panegyristas usus. de ea illud videtur dignum quod memoretur, si tres locos exemeris panegyrici III., qui sunt 2 (102, 24): 'etenim ipsi illi dies — ob hoc sancti sunt'; 16 (114, 14): 'etenim ab ipso solis ortu — ruunt omnes in sanguinem'; 19 (116, 1): 'etenim ceterae virtutes et bona cetera processu aetatis eveniunt', non alibi eam usurpatam deprehendi nisi ante coniunctiones subordinativas (*si*, *cum*) et ante relativum: III 8 (109, 3) etenim cum nihil sit animo velocius; 16 (114, 9) etenim quod ait ille — auctor; IV 17 (128, 7) etenim si bello parta Marti dicantur; VI 13 (158, 25) etenim si quamvis dissidentes familias — reduxit in gratiam; IX 1 (193, 11) etenim si in rebus bellicis ipsisque proeliis — incentivum aliquod feruntur habuisse; X 10 (225, 26) etenim cum mens tua — ubique se promerendo deo praestet.

Inde est quod dubito, an recte *etenim* pro *sed enim* Iaeger VIII 10 (188, 20) proposuerit, quam scripturam Baehrens comprobavit. ibi enim haec leguntur: 'nescis, imperator, tua commendare beneficia: praestandi celeritate occupas tempus optandi. etenim (*sed enim* M) indulgentiae celeritate vicisti, imperator, ipsa elementa, quibus animamur et vivimus'. nam *etenim* h. l. non ante sententiam subordinatam positum est, ut positum est locis quos supra adtuli. deinde quaeri potest, num *sed enim* revera h. l. non sit tolerabile. mihi quidem non videtur necessario hinc expellendum, immo eam lectionem pro vera duco. nam illud 'indulgentiae celeritate vicisti — ipsa elementa' non est sententiae quae antecedit 'praestandi celeritate occupas tempus optandi' explicatio, sed ipsa gradatio. imperator dicitur non solum occupasse tempus optandi celeritate praestandi, **sed** vel ipsa elementa velocitate indulgentiae vicisse. quare coniunctio adversativa non potest dici a sententiarum nexu esse aliena. similiter prorsus res se habet supra cap. III (p. 182, 16): 'impetrata ope Roma-

num exercitum Caesaremque cis Rhodanum (princeps Aeduus) primus induxit. sed enim (*deinde* Baehrens) Aedui totum istud quod Rheno, oceano, Pyrenaeis montibus — continetur, Romano imperio tradiderunt'. etiam hic *sed enim* rem maiorem superiori oppositam adiungit nec pro corrupto habendum est.*)

Accedit quod illud *sed enim* aeque atque *at enim* his scriptoribus est satis usitatum, interdum inchoatur ita sententia gradativa; cf. III 7 (107, 21) at enim quanto hoc est admirabilius; 18 (115, 16) pacem colere? at enim quanto hoc est laetabilius; IV 19 (130, 3); V 7 (136, 7); 11 (140, 5); 14 (142, 3); VII 15 (172, 7); 19 (175, 23); 22 (178, 26); VIII 8 (187, 8); 10 (188, 20); IX 7 (198, 26); 15 (204, 12). dubii sunt loci XI, 20 (208, 18) et 22 (210, 1).

Multo parcior quam *etenim* est *namque* usus in his orationibus. nam tria omnino exempla adferri possunt eaque ex ultimis duobus panegyricis: XI 18 (258, 24) namque is — polluitur; XII 14 (283, 28) namque appositas dapes — aestimantes illis demum cibis acquiescebant; 19 (288, 8) namque fugitiva — relinquit.

Nempe bis occurrit, III 9 (109, 8): nempe hieme saevissima et his quoque regionibus inusitata (sc. pervecti estis); XI 23 (262, 32): nempe nobis quoque — nascuntur. vides primo illud loco poni nec nisi cum integris enuntiatis iungi. in utramque rem offendit, quod Baehrens proposuit IV 15 (126, 27): cuius nutum promissionem nempe (que M) firmantis totius mundi tremor sentit.

Postremo de particula *neve* est cur dicatur. ea uno loco adhibita videtur VI 9 (155, 6): quod — facere voluisti — consilii olim — inter vos placiti constantia et pietate fraterna, ne, quem totius vitae summarumque rerum socium semper habuisses, in alicuius facti communitate desereres neve (ne vel M) illius, viderit quali, certe novae laudi cederes'. alibi *nec* pro eo succedit: IV 14 (126, 2) hortamur ut — excolas mentes nec putes — aliquid — derogari; X 2 (214, 11) eat quin immo in inmensum felicis cursus imperii nec humanorum terminos curent qui semper divina meditantur; 12 (222, 25) commovere tandem, conscia virtus, nec permittas hoc furori; XI 16 (257, 9) quaeso — abscedas nec**) <me> . . . honestari putes; XII 44 (311, 19) hoc — celebrate nec sitis de operum

*) Quod si recte disputavimus, non erit cur offendamus in lectione IX 22 (209, 19): 'cessat terra novalibus, dicuntur flumina resistere, sed ipse dies (sic BCVW, *dies* om. A, *resistere, sol ipse* Bert., sane e coniectura) noctibus acquiescit'.

**) Sic habent codices; Baehrens a tradita scriptura falso, ut infra dicam, discedit.

vestrorum perennitate solliciti; 18 (287, 7) nec imponi neglegentibus arbitreris; 26 (295, 1) nec ideo vias saltusque obsidet, ut — gulae ventrique suppeditet n e c desit sumptus impendiis. quae cum ita sint, vix dubitabis scribere VII 20 (176, 9): distulisti, ut omnibus tibi liceret ignoscere n e<c> (*ne<u>* Livineius, Baehrens) quid atrocius faceret miles.

Ex praepositionibus *propter* et *ob* mentione aliqua sunt dignae. sensu causali multo frequentius hi panegyristae *propter* usurpant quam *ob*. nam *propter* his locis habetur:

VI 11 (157, 14) propter te non utitur illa — voluptate; VII 16 (172, 33) propter te — est facta communis; VIII 1 (180, 21) propter assistentium paucitatem — iret in populos; X 2 (214, 15) propter caelestem in illos favorem — spes est; 4 (216, 28) propter ipsum magis placuit; 27 (233, 33) propter insecutas -- commoditates gratissima fuit — iniuria; XI 5 (248, 18) propter eximiam formae dignitatem; 8 (250, 22) navem unam propter aurati velleris furtum consecrasti; 13 (254, 16) propter caecam imperandi cupidinem in ferrum ruerunt; 16 (257, 3) multaque alia propter honorem agenda; 16 (257, 25) propter opinionem desidiae non refugi; 21 (261, 28) me propter tantillum innocentiae meritum — ter videat honoratum.

At contra *ob* tribus non amplius locis certis deprehenditur: III 2 (102, 2) ob hoc sancti sunt ac religiosi, quod . . . VIII 4 (183, 13) ob haec merita tam prisca; IX 19 (208, 2) ob hoc solum favere, quod te praesente certarent. ut vides, ubique *ob* ante demonstrativum *hic* est positum. itaque fortasse recte illud suppletur IV 3 (118, 15) 'ut <ob> hoc ipsum, quod — in foro dicam, veniam magis possim sperare'. at vero valde dubium mihi est *ob* V 18 (145, 8), quod Baehrens ibi scripsit*) pro *vobis* M: 'sed ubique, vanis licet o b virtutem felicitatemque vestram, magnis tamen terroribus imminebat'. nam illud *uobis* (= *uouis*) dittographum *uanis* esse potest et vera praepositio deesse. quod si ita esset, supplendum foret non *ob*, sed *propter*, ut discimus ex locis, quos supra adtulimus.

Praepositio *propter* etiam VII 9 (167, 2) videtur restituenda: 'certe quidem, <q u a>p r o p t e r <ibi> vita diligitur, longissimae dies et nullae sine aliqua luce noctes'. sic Baehrens locum edidit; itaque duobus locis lacunam explevit, ut sententia apta evaderet, quod satis violentum est remedium. sed *quapropter* parvam habet veri speciem, siquidem non alio loco usurpatur ab his oratoribus. verisimi-

*) Idem mox invenit in Harleiano, scriptum, ut mea fert opinio, e librarii coniectura.

lius, puto, emendabimus locum, si minore conatu legerimus: 'certe quidem, propter <quod ibi> vita diligitur'.

Prae vi comparativa certo adhibitum est XII 10 (280, 17): 'illud tamen prae ceteris mirum quod'; dubius est alter locus VIII 2 (180, 26) 'in hac urbe, quae adhuc assiduitate praesentiae tuae prae ceteris fruitur'; sic enim in A scriptum est, non in BCV Malat., quibus *prae ceteras* praebetur. nescio an hoc ad *prae<ter> ceteras* spectet, praesertim cum *praeter* sic positum extet X 15 (225, 4): 'quia in dimicando praeter ceteros insignis fuissent'; 17 (226, 20) Franci ipsi praeter ceteros truces. cf. et VIII 3 (182, 4): quo nomine praeter cetera necessitudinum vocabula et communitas amoris apparet et dignitatis aequalitas; VI 14 (159, 23) haec est tua praeter omnes divos propria immortalitas, quam videmus.

Hoc loco non alienum erit de praepositionum positu pauca exponere. hi oratores plerumque praepositiones ante voces, quas regunt, collocant, raro nominibus vel pronominibus et eorum attributis interponunt, numquam postponunt nominibus vel pronominibus nudis. interponuntur autem non aliae praepositiones nisi monosyllabae. vel hinc patet VII 9 (167, 2) non potuisse scriptum esse: 'certe quidem, <quod> propter vita diligitur', id quod olim vulgabatur. nec tamen omnes praepositiones interponuntur monosyllabae, verum paucae. quae sunt *in* (18 locis), *cum* (4), *de* (2), *ex* (2), *ob* (2 = quam ob rem). lectio Baehrensii XII 16 (285, 11) falsa est.

Mihi suspectum est *in* interpositum, quamquam codicibus servatum, XI 13 (254, 25): 'nulli gratificemini, in neminem saeviatis, toto in orbe terrarum nullius virginis fama violetur'. nam ablativo loci non addunt hi oratores *in*, si attributum est *totus*. cf. II 2 (90, 24) deum toto quidem orbe victorem; 5 (93, 16) ipse omnibus locis totaque acie dimicares; 6 (93, 30) tuas tota Gallia pugnas; 12 (99, 23) totis fluminum alveis oceanus redundavit; III 10 (110, 10) tota Italia clarior lux diffusa; 16 (114, 13) vesaniam toto orbe percenseat; 19 (116, 16) praeter victorias toto orbe terrarum partas; IV 18 (129, 25) toto Rheni et Histri et Euphratis limite restituta; V 9 (138, 8) totis porticibus — sedere — agmina; 17 (144, 15) passim tota urbe confecerint; VI 1 (148, 28) toto orbe florescere; VII 21 (177, 8) ad templum toto orbe pulcherrimum; VIII 2 (181, 14) quaenam igitur gens toto orbe terrarum in amore — postulet anteponi; 14 (191, 18) quaenam toto orbe terrarum — metalla tam larga sunt; IX 2 (194, 10) toto limite dispositis exercitibus; 12 (202, 2) bellorum toto orbe surgentium; 18 (206, 30) nec desitum tota urbe — caput illud piaculare foedari; XII 6 (276, 21) cui toto orbe terrarum — vota redduntur; 20 (289,

12) nullum toto orbe terrarum superbiae — extare vestigium.*) fortasse l. l. *in* ex '*in* neminem' iteratum est et ideo delendum.

Ceterum memoria dignum videtur hos oratores pro ea qua scripserunt cura cavisse, ne praepositiones, si *in* exemeris unum, ante vocabula collocarent, quae ab ipsarum syllabis initium caperent.**) sed et illius *in in-* exempla repeτiuntur satis pauca: III 14 (112, 28) vos in interiorem imperii vestri sinum secesseritis; X 2 (214, 11) 'eat quin immo in inmensum felicis cursus imperii' (quamquam facile et *in immensum* scribi potest, quia aliis locis *immensus* extat); XII 3 (273, 20) in integro itaque rem totam esse faciamus. dubii sunt loci: IV 4 (119, 7) 'singularique in nos benevolentiae huius quoque operis <in> (Baehrens addidit) instauratione parendum est', ubi, si praepositione opus est, *in* potius ante *huius* supplendum est; X 24 (230, 29) 'diducta acie <in> inrevocabilem impetum hostis effundis', ubi *in in-* tollitur scribendo 'in <ir>revocabilem' (cf. V 13 p. 142, 10 irrevocabilem iniecisti mentis ardorem); X 16 (226, 16) 'ut iam <in> infantulo indoles futuri roboris emicaret', ubi *in* otiosum est, si quidem *infantulo* nudum sensu *ex infantulo* intellegi potest; cf. IV 21 (131, 18) Bataviam Britanniamque squalidum caput silvis et fluctibus exerentem; VII 18 (175, 1) confestim navibus evolarent; VIII 9 (187, 27) vidimus misericordiam tuam umentibus oculis eminentem; IX 8 (199, 13) muris excesserit; 16 (205, 21) palatio emigraverat; 16 (205, 28) excedendo palatio (= e palatio); XI 25 (264, 28) scilicet ut ipsorum prudentia vulgo suorum aliquatenus emineret.

Venio ad *pronomina*. personalium pronominum interdum hi oratores etiam formis gravioribus utuntur. inprimis pronominibus iis cum *-met* iunctis delectantur. legitur quidem apud eos

memet: XII 47 (313, 24) memet — attrectasse;

temet: II 6 (94 19) a tribunali temet in campum — transtulisti; IX 2 (194, 4) per temet liberandae urbis;

semet: III 16 (114, 5) furore percitae in semet imitentur; IX 14 (203, 21) semet incluserat; XI 12 (253, 19) tam se-

*) Etiam VII 11 (169, 1) huc pertinet, quem locum sic scripsit Baehrens: 'aret illam terribilem aliquando ripam inermus agricola et toto nostri greges bicorni (*bicorne* M) <amne> (<flumine> *edd.*) mersantur.' sed ex locis supra congestis vides prave *toto* ab *amne* vel *flumine* tot verbis separari. itaque vera scriptura videtur: 'toto <flumine> (hoc praetulerim) nostri greges bicornes mersantur'.

**) Cf. etiam quae dixi *Stud. Liv.* p. 5—8.

vere parcus in semet; XII 13 (283, 7) ad principis semet modum coherceri; 24 (293, 20) apud nos semet exercuit crudelitas; 38 (306, 7) in oppidum semet Aquileiense praecipitat; 40 (308, 11) ut fateatur semet uni victoriam, alteri debere vindictam; 41 (309, 6) semet occidere noluit;

sibimet: XII 39 (306, 22) nihil tamen sibimet hoc nomine milites tui vindicant; 41 (308, 22) ut consciscere sibimet interitum nollet;

nosmet: XII 17 (286, 15) fere filios quam nosmet ipsos diligamus;*)

vosmet: III 6 (106, 19) quanta vosmet invicem pietate colitis; 7 (108, 8) sed invicem vosmet imitamini; XI 30 (268, 13) quae vosmet ipsi vidistis iterare.

Vides auctorem ultimi panegyrici, Drepanium Pacatum, praeter ceteros his formis indulsisse. cf. et Goetzii Quaest. Eum. p. 18.

Tum geminatum *se* aliquot locis occurrit; qui sunt:

V 19 (146, 8) obvius sese — triumphus effudit; VI 3 (151, 2) sese votis gentium praesentant; VII 22 (177, 30) osculis sese inserere velle videantur; IX 23 (210, 24) seseque letalibus vulneribus — offerunt; X 3 (215, 15) non minus in sese operis amplexae sunt; 7 (219, 4) insinuat tamen sese totas scrutatura divinitas; XII 28 (296, 28) vita sese abdicare compulsus est.

Incertum est *sese* V 8 (137, 29): quominus dicioni tuae divinitatis omnes sese dedere (CV; sesedere A, secedere W, sese degere B) cogerentur. ex illa scripturae varietate id tantum mihi elucere videtur, in archetypo *sesedere* fuisse ceterasque scripturas inde coniectura ortas esse. ex illo *sesedere* equidem non *sese <de>dere* effecerim, sed tantum *se dedere*, quoniam alibi sic dicunt hi scriptores. cf. VII 6 (164, 20) obsessa navigiis ita se dedere cogerentur; II 7 (95, 10) Diocletiano sponte se dederent regna Persarum; VII 10 (168, 6) qui dedentem se acceperat; IX 11 (201, 8) cunctique se tibi dedidissent; 25 (211, 23) tibi se — populi dedidere; 7 (198, 19) omnes exercitus se clementiae tuae traderent.

Denique *tute* bis legitur, sed e coniectura Baehrensii: IX 26 (212, 9) sive tute (in te M) quaedam vis — es (est M); X 19 (228, 15) ut, cum res bellica caecos habeat eventus, tute (in te M) tamen dimicandi voluntatem pro pignore victoriae teneres. veramne ita editor ille adeptus sit lectionem, difficile est dictu. altero tamen loco *in te* videtur integrum esse.

Quisque plerumque numero singulari hic adhibetur. saepe

*) Deest igitur *nobismet,* quod Baehrens IX 1 (193, 3) pro *nomenbis* M (= no[men]bis) proposuit.

additur superlativo adiectivi vel qui eum aequat positivo. cf. III 2 (102, 21) proxima quaeque veneratio; VI 9 (155, 18) maximus quisque natu gubernator; IX 15 (204, 19) proximum quodque pugnae tempus; X 3 (216, 4) excellens quaeque natura; XI 19 (259, 26) perditissimum quemque; 19 (260, 4) sordidissimum quemque — et probrosissimum; 20 (260, 9) a nobilissimo quoque; 25 (264, 27) indoctissimum quemque; 25 (264, 30) vilissimus quisque; 25 (265, 1) optimus quisque; 25 (265, 4) optimum et doctissimum quemque; 25 (265, 11) non familiarissimum quemque sed innocentissimum; XII 6 (276, 11) augustissima quaeque species; VI 6 (152, 30).

Pluralis eiusdem pronominis legitur tantummodo in genere neutro, iunctus idem cum superlativo: X 26 (233, 5) densissima quaeque perrumpis; 35 (241, 7) celeberrima quaeque urbis — enitescunt.

Quae cum ita sint, iure mireris Baehrensium scribere ausum X 3 (215, 25): 'sed — contra rationem aetatis maximorum <quorum>que fructuum matura perceptio'. ut alibi, ita hic quoque librarius de suo haud dubie illud *que* addidit. id iam Eyssenhardt delendum censuit.

Numquam iungitur *quivis* vel *quilibet* cum superlativo; quare nescio an male Scheffer, quem Baehrens sequitur, proposuerit XII 28 (296, 6): 'praeter insitum pessimo cuivis (cuius M) boni contemptum'. lectio priorum editionum *pessimo cui<que>*, ut quae congruat cum illa panegyristarum loquendi consuetudine, fortasse vera est, quamquam magis distat a codicis *M* memoria.

Ceterum *quivis (quilibet)* his locis apud hos oratores deprehenditur: II 1 (90, 11) merito quivis te tuumque fratrem — dixerit conditores; 12 (99, 27) facile itaque quivis intellegit; VIII 6 (184, 20) quamquam merito quivis ignoscat ipsis cultoribus; XI 14 (255, 9) quemlibet alium — periculum deterruisset; 22 (262, 11) quo vel solo cuiuslibet aviditas vinceretur; XII 26 (294, 29) cuivis (cuius M) ut intuenti — latronis receptaculum videretur.

Iam de singulis deinceps locis exponemus.

II 1 (89, 14): *verum est enim profecto, quod de origine illius civitatis accepimus, primam in ea sedem numinis vestri, sanctum illud venerandumque palatium, regem advenam condidisse, sed heroem hospitem constituisse.*

Satis audacter Baehrens h. l. a tradita scriptura *sed herculem hospite condidisse* discessit. *condidisse* pravum esse et ex superioribus huc irrepsisse per se ipsum sane patet. sed cur *herculem* etiam mutetur, causa non apparet; nam ex iis, quae

subsequuntur, satis evincitur commode prorsus eum heroem in hac sententia commemorari, id quod recte iam C. Schenkl monuit. quod verbum illo *condidisse* expulsum sit, certo dici non potest. sed non fuisse hic *constituisse*, et res clamat — nam Herculem palatium constituisse adfirmari nequit — et clausula hexametrica, ut supra exposui. multo est aptius, quod Schenkl proposuit, *consecravisse*. novam enim sedem ab Hercule consecratam esse dici potest, quod ille eam adiit (cf. XII 47, p. 314, 10: 'sed privatas quoque aedes divinis vestigiis consecraris') et aram maximam haud procul instituit. sed forma *consecravisse* est cur reprehendatur, cum hi scriptores constanter, si IX 15 (204, 9) 'gloriae dicavissent' (dii cavissent codd.) exemeris, ubi forma extentior propter clausulam ´— ∪ `— ´— — praelata videtur, utantur in inf. perf. act. et in coni. plusquamperf. act. brevioribus formis verborum, quae sunt primae coniugationis. itaque *consecrasse* erit praeferendum.*)

Quod cum ita sit, utram formam X 15 (225, 8) eligamus, *communicavissent*, quod inest in A, an *communicassent*, quod in BVW habetur, dubitare vix possumus. Baehrens rei, ut videtur, nescius codicem A sequendum censuit.

ibid. 5 (92, 32): *statim, vixdum misero illo furore sopito, cum omnes barbariae nationes excidium universae Galliae minarentur, — quis deus — salutem nobis attulisset?*

Barbarae, quod altera M servavit propago, verum esse multis horum oratorum locis demonstratur: III 14 (112, 27) barbarae nationes audent animos attollere; 16 (114, 1) undique se barbarae nationes vicissim lacerent; V 1 (132, 23) tot excisae undique barbarae nationes; 13 (141, 11) ne quid barbarae nationes novare temptarent; VI 4 (151, 20) plurimas ille barbaras nationes — domuit; 8 (154, 17) barbaris gentibus intulit; 14 (159, 12) barbaris gentibus instat imperium; VIII 2 (181, 16) inter illas immanes et barbaras Galliae gentes; IX 23 (210, 11) ite nunc — omnes — barbarae nationes; XII 3 (273, 7) barbaris nationibus — superfusis; 47 (313, 30) in barbaris gentibus.

In A *barbariae* scriptum est vitio frequenti; cf. XI 25 (264, 31) sua commod[i A]a et vitia; XII 25 (294, 20) ieiunae (ieiunie A) mentis; III 10 (110, 4) matres Italae (Italiae M); X 35 (241, 6) perdomite (perdomitie M); XII 39 (306, 14) germana (germania A).

*) Scripseritne mox orator 'sicut hodieque testatur', valde est dubium; nam *hodie quo* A ad *hodie quo<que>* spectare videtur et legebatur sic olim.

ibid. 5 (93, 7): *ceteros quidem perduelles, quibus ipsa multitudo p e s t i f e r a <era>t, ire passus es in profundam famem.*

Post *pestifera* facile sane *erat* suppletur, sed propter ingratum sonum, qui est in his 'pesti*fera erat ire*', valde incertum, sinceramne Livineius — nam is sic primus scripsit — invenerit scripturam. etenim cacophoniam hi oratores sollicite vitabant nec extat apud eos locus, qui cum huius asperitate possit comparari. si cetera recte servata sunt — nam turbas archetypi etiam BCV memoria 'ipsa pestifera multitudo' videtur indicare —, ego violentiorem medelam, sed quae insuavitatem verborum mitiget, praeposuerim scribendo: 'quibus ipsa multitudo p e s t i f e r a <fui>t, ire passus es'.

ibid. 5 (93, 11): *Chaibonas tamen Erulosque non dignatus pari astu perdere a t q u e ut interim divina virtus tua exercitatione solita non careret aperto Marte atque uno impetu perculisti.*

Tam diversas orationis partes, quam diversae sunt illae *non dignatus — perdere* et *ut interim — non carerent*, nusquam hi oratores copulativa coniunxerunt; unde mihi *atque*, quod eas conectit, non mediocriter fit suspectum. accedit, quod nihil eo sublato desideratur ad sententiam. fortasse ex subsequentibus *atque* huc illatum erat. utcumque accidit, adsentior Baehrensio delendum illud esse arbitranti. cf. de vitio V 21 (147, 21) tuo — iussu [p p l e v i t] deserta Thraciae translatis incolis Asia com p l e v i t*); VIII 8 (187, 4) omnium deorum simulacra [p r o t u l i m u s], paucissima clarorum instrumenta modulorum per compendia — tibi occursura p r o t u l i m u s; XII 20 (288, 30) ita maiores nostros [*semper* BCVW, om. A Bert.] pertaesum est, ut graviorem s e m p e r putaverint; XII 26 (294, 32) et ablata aliis [u t] sibi reddit nec ideo vias saltus obsidet, u t thesaurum struat. ex sequentibus irrepsisse *ut* videtur etiam XII 33 (301, 19): 'quae tandem [u t] collatio posset esse, etiamsi tanta non esset dissimilitudo causarum, u t ab illis fuerit — appetita libertas'. sane in ς factum est *ulla* ex hoc *ut*, sed alibi non inveni in his orationibus *ullus* additum interrogativo pronomini. quare adsentiendum puto Langio illud *ut* delenti.

ibid. 5 (93, 17): *ipse hosti undique, et qua resisteret et qua cederet et qua fugeret o c c a s u m, occurreres erroremque adversariis pariter ac tuis faceres?*

*) De eo loco infra agetur.

Occasum Baehrens scripsit Ruehlium (p. 11) secutus; in Bertiniensi *oceanum* erat, a M ea vox afuit. opinionem Ruehlii probandam fuisse non existimo. primum non est necessarius h. l. talis accusativus; nam fuga hostis deserto proelio capessita per se ipsa significatur, quemadmodum in superioribus hostis commemoratur in pugna resistens et hostis ex pugna cedens. ea fuga nequaquam idem est atque hostis recessus, in quo hic pugnare potest et se ipse defendere. itaque obiectum illius *fugeret* non desideratur. deinde tantum non aliena est vox *occasus,* sensu *interitus* posita, ab his scriptoribus. cf. IV 5 (120, 12) interitu summi doctoris orbatam; 14 (125, 28) interitu praeceptoris orbatum; X 31 (237, 17) conceptus e vita terror insultatione interitus obterebatur; XII 24 (293, 13) interitum Gratiani; 28 (296, 24) vestrum is recordetur interitum; 41 (308, 23) consciscere sibimet interitum nollet; 41 (309, 10) et recipere interitum statim totum; 42 (309, 22) expectatus interitus. solo loco X 12 (222, 30) legitur *occasus*: 'una demum Constantii oblivio est humani generis occasus'. tum omisso accusativo maior evadit trium sententiarum ex aequo positarum aequabilitas: 'qua resisteret' 'qua cederet' 'qua fugeret', quod eo plus valet, quod aequabilitatem affectant hi scriptores. postremo accedit codicis M, qui ignorat illud *oceanum*, auctoritas. quomodo *oceanum* in Bert. extiterit, dici potest. scilicet initio '*oc*currere*s*' librarius commonefactus vocis, quae ab iisdem litteris incipit, *oceanum* per neglegentiam exaravit. hoc erroris non solum hic evenit, sed etiam alibi saepius; cf. Tac. hist. 4, 15: statimque accitis Frisiis — duarum cohortium hiberna proxima [*oc*cupata] *Oc*eano inrumpit; Val. Max. 1, 1, ext. 4: in quam ne incideret Timasitheus — consilio sibi aliter atque universae patriae utili providit [*ex*emplo]: *ex*cepta namque . . .' de re dixi iam *Anal. Tac.* p. 13.

Baehrens lectionem Bert. *oceanum* pro tam gravi ac memorabili habuit, ut eam ex scribae alicuius cerebello profectam negaret et argumento esse contenderet codicem Bert. non ex ipso M duxisse originem (cf. edit. p. XIX). hac in re vir doctus non minus erravit quam in aestimanda lectione Bert. III 5 (106, 5) 'ad petendum pacem'. nam ea scriptura tam vera ei est visa, ut spreta codicis M memoria, quae est 'ad petendam pacem', eam in orationem reciperet. sane et inde concludere studet non ex M descriptum esse codicem Bertiniensem. at ego etiam hoc *petendum* mero errori scribae codicis Bertiniensis tribuendum adfirmare audeo nec comprobandum editori fuisse mihi persuadeo. nam nullum reperitur talis constructionis apud hos oratores exemplum;

cf. II 3 (91, 21) ad restituendam rem p.; 4 (92, 16) ad restituendam eam; X 15 (225, 5) ad remunerandam industriam; 19 (228, 14) ad liberandam Italiam; 32 (238, 7) ad permulcendam Africam; XII 11 (280, 21) ad suscipiendam rem publicam; 17 (286, 18) ad exonerandam — verecundiam; 30 (298, 21) ad asserendam rem p. usurpandamque victoriam. error ille Bert. eo minus est mirus, quod *a* et *u* litterae etiam alibi in his codicibus confunduntur; cf. VI 6 (152, 30) difficillimam (difficillimum A) esse praecipuae cuiusque formae imitationem; X 13 (223, 20) divinitas (divinitus ABV); 38 (243, 16) extendenda (extendendū A); XII 8 (287, 7) actas (actus A) sub pellibus hiemes; 34 (302, 4) paratos (puratos A). cf. etiam Liv. 42, 5, 6 ad spernendam (s p e r n e n d u m V) originem. itaque revocanda erit l. l. vulgata „ad petendam pacem". cf. Liv. 21, 13, 1 ad petendam pacem — venit; 30, 16, 3 oratores ad petendam pacem mittunt; 30, 30, 3 ad pacem petendam venirem; 30, 30, 5 ad pacem petendam veniam; 30, 31, 7 venientem ad pacem petendam; 36, 36, 11 compulit ad petendam pacem; 41, 10, 4 ad pacem petendam — miserunt; 29, 12, 1 ad petendam et paciscendam subegit pacem. vide etiam Wölfflin, Liv. Krit. p. 16; Schmalz, Lat. Synt. p.[3] 300.

ibid. 6 (94, 9): *vidimus te, Caesar, eodem die pro republica et vota suscipere et c o n i u n c t a d e b e r e.*

In his *coniuncta debere* multi iam offenderunt et varia pro iis proposuerunt, velut Baehrens *soluta reddere,* nulla sane probabilitate. mihi verba tradita non videntur depravata explicarique ea posse arbitror. orator enim Caesarem dicit eodem die vota suscepisse et egregie in bello re gesta vota suscepta o m n i a s i m u l (= coniuncta) debuisse. illud *vota suscipere* respondet praecedenti *officia te consulis inchoantem,* hoc autem *coniuncta debere* convenit praecedenti *opera imperatoris implentem.* cf. et Liv. 42, 42, 1: ut multo ante d e b i t a v o t a persolverem.

ibid. 11 (98, 24): *sic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quae aliorum ductu geruntur, Diocletianus f a c i t, tu tribuis effectum.*

Exhibui Maguntini scripturam, quae manca est; nam *facit* eget obiecto. editores, ut aptam sententiam consequantur, hoc ipsum verbum varie mutant, velut in *causam* (Eldikius), *actum* (Eyssenhardt), *facem* (Baehrens). mihi integra haec scriptura videtur, obiectum vero omissum esse; nam si

hoc supplemus, maior est sententiarum concinnitas. ego in hunc modum puto dixisse hic oratorem: 'Diocletianus facit <ortum>, tu tribuis effectum' (h. e. Diocletianus facit, ut res illae oriantur, Maximianus, ut ortae vigeant et crescant). suppletum substantivum legitur II 1 (90, 4) immortalis ortus dominae gentium civitatis vestra pietate celebratur; V 2 (133, 22) divinus ille vestrae maiestatis ortus; 2 (134, 2) ortu Caesarum maximorum; VI 8 (154, 13) in ipso ortu numinis tui; VII 3 (162, 16) ortus sui sublimitate fultum; 10 (167, 19) ortus tui auspicia temptasset.

III 2 (102, 20): *et profecto, si non sensus meos dicatorum vobis dierum proxima quaeque veneratio sui maiestate p r a e s t r i n x i t, hic mihi dies videtur illustrior magisque celebrandus, qui te primus protulit in lucem.*

Baehrens perfectum *praestrinxit* recepit, quod Livineius dubitanter proposuerat lectione Bertiniensis *perstrinxit* — nam *perstringit* M habuit — nisus. sed non est cur a praes. *praestringit*, quo ducimur M lectione, discedamus. nam sensus oratoris praestringi poterant etiam tum, cum haec verba apud principem faceret. cf. etiam III 5 (105, 26) quas ad hoc tempus aptissimas, nisi f a l l o r, elegi. ut alia, etiam hoc librarius Bert. ex sua libidine mutasse videtur.

ibid. 3 (104, 2): *mitto quod, dum inter homines erat, terras omnes et n e m o r a pacavit.*

Nemora Arntzen suspectum habuit et *aequora* proposuit. sed tradita scriptura confirmatur loco VII 9 (166, 30) 'in qua (sc. Britannia) n e m o r a sine inmanibus bestiis, t e r r a*) sine serpentibus noxiis,' ubi similiter nemora (i. e. loca silvestria) opponuntur terrae (i. e. regioni silvis non obsitae). cf. et III 10 (110, 17) gregibus remota pascua et n e m o r a linquentibus. quod Hercules h. l. non laudatur etiam tamquam marium pacator, offendere in oratore, qui obiter herois mentionem facit, non potest.

ibid. 3 (104, 21): *non enim in otiosa — parte terrarum nati institutique estis, sed in his provinciis, quas — fracto licet oppositus h o s t i, s e d armis tamen semper instructus miles exercet.*

Sed non recte intulit Baehrens h. l. orationi, siquidem adversatur ei usus scribendi horum oratorum. nam non *sed* —

*) Cum in ABV *terras* insit, id etiam in M fuisse videtur. ex hoc *terras* ego pluralem potius *terrae* fecerim, qui congruat cum plur. *nemora*; cf. III 3 (104, 2).

tamen, verum tantum modo *tamen* ponunt illi, si particula concessiva non integro enuntiato additur; cf. II 1 (90, 1) hunc parva licet regia, summa tamen religione susceptum; V 12 (140, 24) exercitibus autem vestris licet invictis virtute, tamen in re maritima novis; 18 (145, 8) sed ubique, vanis licet ob virtutem felicitatemque vestram, magnis tamen terroribus imminebat; VIII 4 (182, 29) blandiore licet, leviore tamen animos tangit affectu; XII 27 (295, 18) avaritiae licet mala, tamen aliqua defensio est. itaque si l. l. M *hostis* exhibet, non inde *hosti s;* (= hosti sed) eliciemus, sed solum *hosti*, ut legitur in aliis editionibus. librarium, ut saepe, vocem adcommodasse verbo, quod in proximo est, facile concedere possumus.

ibid. 6 (106, 26): *obtrectant invicem sibi artifices operum sordidorum, est inter* a l i q u o s *etiam canorae vocis invidia, nihil denique tam vile tamque vulgare est, cuius participes malignis aemulationis stimulis vacent.*

Aliquos compluribus proxima aetate fuit offensioni; velut Eyssenhardt *alios*, Baehrens *auloedos*, Schenkl vel *alicarios* oratorem dixisse existimavit. ego vero non intellego, cur traditam lectionem mutari oporteat, si *aliquos* explicemus sensu „aliquos homines“, non „artifices sordidorum operum“. et quid est quo sic explicare prohibeamur?

ibid. 10 (110, 7): *vario planctu ploratuque futuris cladibus omina dabant, Trasimennum et Cannas dolore praesago* *p r a e c a n e b a n t.*

Praecanebant vereor ut sincera sit scriptura. nam tali composito verbo orator, qua est cura scribendi, non videtur usus esse pro *praecinebant* (cf. Cic. har. resp. 20). cf. V 19 (146, 24) laetitiae clamoribus concinebant. cum simplex *canebant* eodem sensu poni potuerit, valde suspicor *prae* dittographum esse atque ideo delendum. cf. VII 21 (177, 15) cui totius mundi regna deberi vatum carmina divina cecinerunt; Cic. Cat. 3, 18 ut haec quae nunc fiunt canere di inmortales viderentur; Sest. 47 non haec denique a me tum tamquam fata in ipsa re gerenda canebantur; Liv. 1, 7, 10 te mihi mater — aucturum — numerum cecinit; 1, 45, 5 et cecinere vates — ibi fore imperium; 30, 28, 2 Q. Fabium haud frustra canere solitum graviorem in sua terra futurum hostem Hannibalem; 40, 8, 10 vereor, ne vana surdis auribus cecinerim.

ibid. 10 (110, 11): *omnibus qui suspexerant* *a e q u e* *admiratio atque dubitatio iniecta, ecquinam dei illis montium verticibus orirentur.*

Aeque, quod Livineius invenit pro *atque* M, vix potest pro vera lectione haberi. nam quemadmodum Ammianus (cf. *Cur. Amm.* p. 23), ita hi oratores constanter abstinuerunt hoc adverbio proque eo plerumque *pariter*, semel *perinde* (XII 19 p. 288, 1) et semel *iuxta* (X 16, p. 226, 10) adhibuerunt; cf. II 5 (93, 19) erroremque adversariis pariter ac tuis faceres; III 2 (102, 29) vestri pariter ac vestrorum numinum reverentia; 9 (109, 10) caelo pariter ac terris uniformibus; 19 (116, 7) solae cum nascentibus pariter oriantur pietas atque felicitas; VII 5 (163, 15) exercitun — terra pariter ac mari saepsit al. cum pro tradito *atque* ad sententiam nihil requiratur, dubium vix potest esse, quin librarius ex sequentibus eam particulam praesumpserit. et delevit eam iam w, cui in appendice editionis p. 323 ipse Baehrens adsentiri videtur. de vitio cf. quae dixi supra in adnotatione ad II 5 (93, 11).

ibid. 10 (110, 14): *ut vero propius propiusque coepti estis agnosci, omnes agri oppleti non hominibus modo ad visendum procurrentibus, sed etiam pecudum gregibus [r e m o t a] pascua et nemora linquentibus: concursare inter se agricolae, nuntiare r e m o t i s visa, arae incendi, tura poni.*

Satis audacter egit h. l. Baehrens; nam *remota* pro interpolato exclusit, mox *remotis* pro *totis* M scripsit, falso utrumque. nam primum hi oratores *remotus* (= *longe distans*) numquam de hominibus, semper de regionibus posuerunt, velut II 12 (99, 3) quam nunc insulam remotiorem, quem alium sibi optet oceanum; XII 13 (283, 15) qui auderet — flagitare remotorum litorum piscem; 23 (291, 29) dum in remota terrarum vincendo procedis, ita ut 'nuntiare r e m o t i s visa', quod Baehrens scribendum putavit, non ex eorum usu sit dictum. '*remota* pascua et nemora' facile tribui potest oratori res exaggeranti et nimis imperatoribus blandienti. non solum homines ait cucurrisse ad imperatores studio visendi, verum etiam pecudes easque vel in remotis pascuis versantes.

Totis autem sensu *omnibus* interpretandum videtur. *toti* ea notione in posterioris aevi latinitate saepius occurrit, praecipue apud scriptores, qui sunt, ut hi panegyristae, e Gallia oriundi. ceterum cf. V 9 (138, 8) totis porticibus civitatum sedere captiva agmina; XII 38 (305, 24) ut quem viribus totis non potui parte sustineam; 41 (311, 18) huc, huc

totas — conferte curas; — hist. Aug. v. Alex. 67, 3: his carior est mihi totis res p. itaque scripturam traditam sollicitari nihil nobis videtur opus esse.

ibid. 11 (111, 2) *atque haec quidem velut interioribus sacrariis operata veneratio eorum modo animos obstupefecerat, quibus aditum vestri dabant ordines dignitatis.*

Operata Baehrens edidit pro *operta* M. sed nulla causa erat, cur tradita scriptura mutaretur; nam veneratio illa revera erat operta, ut quae in palatii aedibus fieret. huic occultae venerationi opponitur veneratio imperatorum in publico facta, cum hi palatio egressi per mediam veherentur urbem. ceterum adseritur *operta* etiam loco XII 21 (290, 9): nisi eos intra repositum Palatinae aedis inclusos tamquam aliquod Vestale secretum veneratio occulta consuluisset.

ibid. 17 (115, 7): *sed etiam Blemmyes illi — quaerunt arma, quae non habent, et paene nudis odiis proelia internecina committunt.*

Barbaram formam *internecinam* adhibuisse oratorem alioquin satis eleganter pureque scribentem credere non possum librariique calamo illam tribuere haud dubito. *internecivam*, quod habent CV, hic fuisse primitus eo magis mihi persuadeo, quod saepe deprehenditur in harum orationum codicibus litterarum *n* et *u* confusio; cf. III 1 (102, 5) voveram (noveram M); 9 (109, 16) aurae lenes (W, leves ABCV); IV 21 (131, 12) et convexa (connexa ACV) Rheni cornua; V 8 (137, 22) ad nisum (visum AC); 17 (144, 9) internecio (intervectio ABCV Bert.); VIII 4 (183, 11) sine clade Catalaunica (Catalannita A); 6 (184, 28) inani (inaui A) feritur invidia; 8 (199, 8) lenior (levior ABV) amnis; IX 12 (202, 4) et curvae (cur ne A); X 18 (228, 2) collativam (collatinam C); 24 (231, 9) labi reclinis (reclivis A, reclives BC); 31 (237, 2) desivit (desinit ACW); XII 37 (305, 1) nenias (venias M).

Hoc mendum cum dittographia sociatum subesse opinor III 7 (107, 26), ubi Baehrens M. Hauptio (cf. Herm. V p. 314) duce edidit: 'non fortuita in vobis est germanitatis usque ad imperium similitudo, quaene etiam intervallum vestrae vincit aetatis.' nam haec particulae *ne* cum relativo copulatio prorsus abest ab hoc scriptorum usu et omnino poetarum modo videtur propria. solum *quae* pro genuino ego habeo, *ne* tamquam ex *quaeve* ortum prorsus deleo; cf. supra IX 12 (202, 4): et cur*vae* (et cur ne A).

IV 20 (130, 27): *videat praeterea —, quidquid invictissimi principes urbium gentium nationum aut pietate restituunt aut virtute devincunt aut terrore devincunt.*

Quod verbum dittographo illo *devincunt* extrusum sit, ambigunt critici. collato loco VI 4 (151, 21) 'tibi cunctis hostibus alacritatis tuae terrore compressis interim deest materia vincendi' cogitare possis de *comprimunt*. rem adiuvant loci Liviani: 10, 18, 5 ut quosdam — populos metus Romani nominis comprimeret; 27, 21, 7 eo metu compressi Etrusci quieverunt; 24, 24, 9 quam (multitudinem) ferociter minitantem in vestibulo curiae coniuratorum corpora eo metu compresserunt.

V 1 (132, 17): *sed cum et me ex illo vetere curriculo — alia quaedam sermonis arcani ratio demoverit — et vos interim nullum ulciscendae — reipublicae vacuum tempus amiseritis, — haereo prorsus et stupeo.*

Cum et me ex Livineius proposuit; in BCV est *cum et in eo*, in A *et cum et meo.* vera lectio videtur *cum et me[o].* nam *me<o>* librarius scribere potuit propter 'illo' et *ex* superfluum est. cf. ablativum qui dicitur separativum III 3 (101, 21) post depulsos quondam caeli possessione Titanas; 10 (110, 12) dei — caelo descenderent; V 19 (146, 11) caelo delapsum intuebantur; VIII 10 (188, 11) in terras caelo missa; IX 15 (204, 4) maiestatem — sedibus suis pulsam; 16 (205, 11) nequis — loco motus referre gradum posset; X 3 (215, 3) etsi conspectu abes, revelli tamen mentibus non potes; 33 (238, 26) urbem gravissimis malis evolverunt; XI 13 (254, 13) saxo praeceps dati; XII 26 (294, 25) hic aurum matronarum manibus extractum; 29 (297, 20) miseros avitis evolvisse patrimoniis. de fine verbi voci subsequenti adaequato cf. II 5 (93, 17) ipse (ipsi M) hosti; III 19 (116, 18) post bella (bellica A) punica; IX 22 (209, 26) eruptionis (eruptionibus M) auctoribus; II 2 (91, 8) enumerare (enumerabo A) conabor; VII 21 (177, 15) cui (cuius A) totius mundi regna.

ibid. 3 (134, 1): *o felix beatumque ver — nec ipsis tantum favoniis et luce sedata laetum atque venerabile, quantum ortu Caesarum maximorum.*

Pro *sedata* scriptum in M fuit: *serata.* inde *<re>serata* efficiendum esse recte contenderunt Sam. Brandt et Burkhard. commemoro etiam Ammianum similiter aliquotiens

usum esse voce *reserandi*; cf. 14, 10, 1 caeli reserato tepore; 21, 6, 7 reserata caeli temperie; 27, 12, 18. vide etiam Cur. Amm. p. 6.

ibid. 5 (135, 19): *illa vero — sine dilatione dicenda sunt; eo magis quod, quamvis in communibus rei publicae bonis, necesse nobis maxime est gratulari, quae propria nobis sunt.*

Hic locus graviorem dittographia praesertim traxit labem, sed non quae probabiliter emendari nequiret. est enim M haec memoria: 'necesse nobis que priora nobis sunt maxime sunt (scilicet Bert.) gratulari'. eam non ad verum redegisse Baehrensium, cum scriberet: 'necesse nobis maxime est gratulari, quae propria (sic iam w) nobis sunt', omni pignore contendere possumus. primum enim verborum ordo '*necesse* nobis maxime *est*' minime est horum scriptorum familiaris; nam ii *necesse* non discludunt ab *est* intermissis verbis aliis, id quod ex locis eorum *necesse est* continentibus ipse iam videbis:

II 14 (100, 30) non necesse erit Camillos — proponere; III 13 (112, 14) nihil vobis necesse sit — parere; 18 (115, 23) ut iam mihi necesse sit illa — coniungere; IV 8 (122, 20) necesse est etiam sedem propriam cupiat reformari; VI 5 (152, 5) sentias necesse est tantae auspicia fortunae; 12 (158, 12) necesse est tamen ad tuos nutus dilucescat et sileat; X 1 (213, 14) nec operta mentium rimari necesse est; 4 (216, 23) nisi quod necesse est utrumque permixte fieri; 33 (239, 23) et vicissim necesse est — in commune rei publicae redundare; XI 21 (261, 2) nihil necesse est pecuniam — quaerat ac libertatem suam — imminuat; 32 (270, 23) non quia necesse fuerit; XII 2 (272, 29) quia neminem magis laudari imperatorem decet quam quem minus necesse est; 6 (275, 23) quid necesse est mitti in praeteritum diligentiam curiosam; 11 (280, 29) expostulari — tecum rei publicae verbis necesse est; 16 (285, 14) quos in quemcumque conferre imperatori necesse est; 40 (307, 22) sed fatearis necesse est.

Unus sane locus refragatur, sed is dubius est, cum stirps altera iustum servaverit ordinem. est autem is locus XII 24 (293, 1): 'necesse me erit (A, Bert.; *erit me* BCV, om. W) vel tacentem — onerosum esse pietati'. Baehrens eam quam A et Bert. habent secutus est lectionem; at quis spondet non propagasse scripturam veram, ut non paucis locis aliis, codices ceteros? sed ut genuinus sit ordo ille 'ne-

cesse me erit', facilius certe feretur hoc *me* interpositum quam vocabulum aliud.

Tum illa *maxime gratulari* non est cur a fine sententiae removeamus, praesertim cum clausula –́ ⏑ –́ ⏑ aptissime haec terminetur; cf. etiam V 9 (138, 22) et servire se militiae nomine gratulatur; V 18 (146, 2) impensius gratulantur, quod; XII 25 (294, 6) non enim se vivere gratulatur.

Hinc talis evadit locus: 'eo magis quod—necesse <est> nobis, quae propria nobis sunt, maxime gratulari'. solum de *nobis* restat dubitatio, si quidem parvo intervallo non lepide iteratur hoc pronomen nec priore loco necessarium est. fortasse ibi ex sequentibus a librario praeceptum erat eaque re *est* praeteritum. quod si ita esse concedamus, prorsus vera appareat correctio, quae iam in w extat: 'necesse est quae propria nobis sunt maxime gratulari'.

Postremo de X 2 (214, 23) dicendum est, ubi *necesse est* e coniectura suppletur, a Baehrensio quidem sic: 'iam vero, cum publicas tantum utilitates amplecti velim et unusquisque privatim suas cogitet, tremebunda proferatur oratio <voce necesse est>, quae tacita reputatione vincenda est'. sed hic verborum ordo minime placet; nam primum *tremebunda* durius interiecto *oratio* a *voce* dirimitur, deinde clausula hexametrica *voce necesse (e)st* efficitur. rectius procedat sententia, si expleveris sic: 'tremebunda <voce necesse est> proferatur oratio, quae'. et praecedit saepius apud hos oratores *necesse est* suum coniunctivum; cf. supra: necesse est — cupiat; necesse est — dilucescat et sileat; nihil necesse est — quaerat ac — imminuat.

ibid. 6 (135, 25): *statim itaque Gallias tuas, Caesar, veniendo fecisti.*

Baehrens Bertiniensis scripturam *fecisti* recepit pro *vicisti*, quod in M fuit. sed *terram facere suam* nusquam dicunt hi scriptores de regione aliqua subacta vel ab hostibus liberata. contra vero *tuas* attributi instar hic positum esse debere ostendunt alii loci: II 14 (101, 4) hunc optatissimum principem in Galliis suis retinet ratio rei publicae; IV 5 (120, 11) qui (imperatores) nobilissimam istam indolem Galliarum suarum interitu summi doctoris orbatam respicere dignati; 6 (120, 28) incredibilem erga iuventutem Galliarum suarum sollicitudinem; IX 21 (209, 9) eodem impetu quo redieras in Gallias tuas. itaque, si cetera integra sunt, aliud verbum sub illo *vicisti* latere concedendum erit. si ita sit, ego scripserim: Gallias tuas, Caesar, veniendo vi<ndi>casti. cf. V 8 (137, 16) quamquam illa regio divinis expeditionibus tuis,

Caesar, vindicata atque purgata; 9 (138, 28) victoriam, qua universa res publica tandem est vindicata; IX 10 (200, 28) nisi te divina virtus tua vindicasset; X 25 (232, 6) muris se ab impetu vindicavit; XII 30 (298, 12) vindicanda iam proximo ultore res publica. sed etiam de faciliore scriptura 'statim itaque <in> Gallias tuas, Caesar, veniendo v i c i s t i' cogitare licet.

ibid. 6 (136, 13): *cum oceanus ille — sive anhelitu quem respirat evectus seu quacumque alia ratione motus n e q u a q u a m tua, Caesar, claustra perfregerit neque omnino convellerit tot dierum ac noctium receptu recursuque.*

Nequaquam scripsit Baehrens pro *quamquam* M, correctione w recepta; antea *numquam* vulgabatur. sed audaciae plenum mihi videtur particulam inferre, quam ignorant hi scriptores, etsi compluribus locis eius ponendae copia fuit. solo loco XII 13 (283, 1) *haudquaquam* occurrit: 'haudquaquam facile videretur obtemperatura.' negativa l. l. sane requiritur, sed non *numquam* — nam sic mox *aut* pro *neque* magis desideratur —, verum *neque* vel potius *non*. alterutrum hic olim fuisse suspicor, *quamquam* autem M pro dittographo expello, ortum esse ex praecedenti '*quacum*que' existimans.

ibid. 11 (140, 9): *ad hoc natio etiam tunc rudis et s o l i s [Britanni] Pictis modo et Hibernis assueta hostibus — facile Romanis armis signisque cessit.*

Britanni Baehrens quin recte secluserit, dubium esse non potest; nam subiecto sententiae *natio* ipsi Britanni sunt intellegendi. sed timeo, ut 's o l i s Pictis modo' recte se habeat; nam collocatio *modo* offendit. ferendum erat 'solis modo Pictis', quamquam non utuntur hoc pleonasmo panegyristae; at *modo* distractum a *solis* prorsus inusitate dicitur. cf. II 12 (99, 25) levi modo commota nisu ducentium; III 17 (115, 7) levibus modo assueti sagittis; X 38 (244, 5) unum modo est quo fieri possit Roma felicior; cf. etiam 'tantum modo' II 6 (94, 5); III 3 (103, 26); IV 3 (118, 18); VI 13 (158, 28); VII 7 (165, 15); IX 24 (211, 12). cum praeterea *soli* praebeat M, non *solis*, vix a vero aberrabimus, si totum *soli Britanni* interpreti tribuerimus. is ad explicanda *Pictis modo et Hibernis* videtur verba ea adscripsisse.

ibid. 12 (140, 25): *malam coaluisse ex indignissimo latrocinio belli molem p a v e b a m u s, licet de exitu fideremus.*

Pavebamus Baehrensii est inventum, minime illud quidem veri simile. *pavere* enim cum acc. et inf. positum mira est

constructio, certe nusquam usurpata ab his oratoribus. quid sub tradito *audebamus* lateat, dici certo nequit. licet enim de *aiebamus* cogitare, licet et lacunam statuere, velut talem: malam coaluisse — belli molem <queri> audebamus. cf. IX 19 (207, 12) ausi etiam quidam — queri tam cito <te>*) accessisse palatium; III 2 (103, 4) ut nos semper anxios vestri caritate nuper ad libertatem piae conquestionis impulerit.

ibid. 13 (141, 10): *nam primo omnium — invocata patris tui maiestate provisum est.*

Primo quod h. l. toleratur satis est mirum; nam non *primo omnium*, sed *primum omnium* latine dicitur. eam consuetudinem etiam hi oratores conservarunt; cf. III 3 (103, 16) nam primum omnium — stare nescit; 6 (106, 11) nam primum omnium quanta vestra est — pietas?; IV 12 (124, 23) nam primum omnium in hoc ego — esse fructus — puto. cf. etiam XI 17 (258, 3) nam primum cum Caesar esses, — excitasti; XII 4 (274, 2) nam primum tibi mater — est; 32 (299, 27) nam primum fidem regum — firmas. omnino *primo* deest apud hos oratores in rerum enumeratione. itaque rescribendum erit l. l.: 'nam prim<um> omnium — provisum est'. vitium omissis vocis duabus litteris extremis olim nasci potuerat. ceterum cf. etiam 10, 19 (228, 12) non tunc primum (W; *primo* ABCV) missi, sed tum demum intellecti esse videantur.

ibid. 14 (142, 10): *irrevocabilem iniecisti mentis ardorem, adeo ut cunctantibus adhuc ducibus, caelo et mari turbidis, ultro signum navigationis exposceret, quaedam minacia indubitanter signa contemneret, die pluvio vela faceret.*

Indubitanter Baehrensii est inventum pro *videbatur* M, parum illud probabile. nam satis longe distat hoc ab illo; accedit quod adverbium illud non recurrit in his orationibus. mihi marginalis adnotatio cuiusdam interpretis *videbantur signa*, pertinens ad *minacia*, videtur verbis oratoris illata omissaque ea legendum iudico: 'quaedam minacia contemneret'. quod si fecerimus, repetitione satis molesta vocis quae est *signum* locum liberabimus, quam repetitionem non videtur auctor orationis, qua est scribendi cura, admissurus fuisse.

ibid. 15 (142, 22): *nec fefellit opinio vestrae felicitatis, si quidem, ut ex ipsorum relatione comperimus, ad <id>*

---

*) Hoc ego suppleo.

tempus ipsum tantae se dorso maris nebulae miscuerunt, ut inimica classis apud Vectam insulam — ignorantibus omnino hostibus praeteriretur.

Id supplevit Baehrens; mihi non videtur hoc recte fecisse. alibi certe *is* ab *ipse* voce aliqua non distrahitur, ita ut aut 'ad id ipsum tempus' vel 'ad tempus id ipsum' dicendum sit. sed fortasse *id* omnino hinc abesse potest et *ipsum* valere *id ipsum*, quemadmodum hoc positum est VII 7 (165, 20): cum ad tempus ipsum, quo pater in Britanniam transfretabat, — repentinus adventus tuus illuxit; X 19 (251, 6) iam quale illud fuit quod — beneficia tua usque ad Hadriam — porrigebas? ipso enim tempore levati equorum pretiis enormibus Dalmatae — miserias exuerunt. sane hoc loco Baehrens *illo* ante *ipso* addidit, sed quaeritur, rectene ita fecerit.

ibid. 16 (143, 32): *tunc vero (corpora) pulvere et cruore foedata et in diversos situs strata, sicuti dolorem vulnerum fuerant secuta.*

Baehrens etiam hoc loco Bertiniensis lectionem *tracta* praetulit scripturae AW *strata* et memoriae BCV *structa*. sed Bertiniensis ope nihil opus est; nam eius *tracta* mera est coniectura, facta ex *strata* A, quod ipsum recte dicitur et insuper aliis locis adseritur. cf. V 19 (146, 13) paratique te ingredientem stratis sentire corporibus; VIII 1 (180, 12) cum in illo aditu palatii tui stratum (sic A; statum BCV) ante pedes tuos ordinem — sublevasti; cf. etiam VIII 5 (184, 6) iacebat illa civitas non tam moenium ruinis quam virium defectione prostrata. *in* in illo *in diversos situs* vi consecutiva positum (= strata ita, ut diversi situs fierent); cf. XI 6 (249, 7) et in redivivum furorem nefandis stimulis excitatas; XII 19 (288, 4) deriguit in mortem; IX 12 (202, 8); XII 45 (312, 25).

ibid. 18 (145, 10): *magnis tamen terroribus imminebat, qua patent maria quaque venti ferunt.*

Temere Baehrens *patent* intulit pro *iacent* M. nam ut omittam parum verisimile vel ob hoc esse *patent*, quod paulo supra orator eodem verbo usus dixit „pervagandi qua patebat", prorsus apte huic *iacent* opponitur mox *ferunt*. deinde quidni dixerit orator maria iacere, cum alibi in his panegyricis legantur campi iacentes? cf. V 21 (147, 24) Nerviorum et Trevirorum arva iacentia — excoluit; X 22 (230, 1) campum late iacenten tantus miles oppleverat.

ibid. 18 (145, 29): *nec idcirco minoribus gaudiis feruntur dempti periculi* m i s e r i, *quod experiundi necessitate caruerunt.*

Dempti periculi miseri Baehrens scripsit; in M est *meri* pro *miseri*, unde vulgabatur olim editionibus *dempto periculi metu.* ego non puto Baehrensii opinionem vulgatae praeponendam esse; nam *miseri* cur appellentur qui periculum ne experti quidem sunt, non video neque *miseri* cum *periculi* oratorem iunxisse credo. lectioni *dempto periculi metu* maior accedet fides, si monuerimus apud Amm. Marc. 29, 5, 19 similem in V extare corruptelam: 'id moliri, ut nihil hostile m e t u e n t e m (merientem V) exercitum — conturbaret'; cf. etiam meas Cur. Amm. p. 72. vide et Liv. 29, 15, 1 dempto — deum benignitate metu; 33, 20, 10 dempto a Philippo metu; 35, 14, 3 m e t u m d e m e r e n t p e r i c u l i; 44, 30, 5 dempto a fratre metu.

ibid. 19 (146, 20): *in ipso, Caesar, tuo vultu videbant omnium signa virtutum: in fronte gravitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiae, in sermone iustitiae. quae singula ut respectantes* a d v e r t e r a n t, *laetitiae clamoribus concinebant.*

Male fecisse Baehrensium, quod etiam hic vulgatam *agnoverat* deseruit scripturamque unius libri nec praecipuae auctoritatis W recepit, ego pro certo habeo. nam cum *adnoverant (annoverant)* non solum BVC exhibeant, sed etiam ipse A, dubitare vix possumus, quin talis scriptura in parente quoque utriusque stirpis M fuerit. eamque vocem eo magis tenebimus, quod plene satis facit sententiae et insuper usu horum scriptorum commendatur: VIII 2 (181, 2) dicam — ea quae libenter agnoscas; 2 (181, 4) nisi te agnoscente dixissem; X 26 (233, 7) nisi quod te ipsa vis tua cogit agnosci; 37 (242, 16): cumque miraretur fratrem, etiam sibi favit, quod e x a n n i s e i u s q u a m p r o x i m u s t a n t a e g l o r i a e e s s e t a g n o v i t. *adverterant*, praeterquam quod solo W suppeditatur, etiam eo male se habet, quod *advertere* sensu *animadvertere* nusquam legitur scriptum in his orationibus. ipsum *animadvertere* tantum non ibi deest; nam XI 12 (253, 21): 'cum illud usu venire animadvertamus', non alio loco, reperitur. scriptura Bert. *advenerant* neglegentia librarii ex *adnoverant* videtur orta.

ibid. 20 (147, 13): *quae a vobis ita* r e c i p e r a t a *est.*

Baehrens *reciperata* edidit codicem A secutus. sed vera videtur forma *recuperata*, quam ceteri libri servarunt. nam *recuperare* habetur aliis panegyricorum locis: VIII 2 (181, 22)

recuperandas; IX 1 (193, 8) recuperata; 14 (203, 6) recuperata; 25 (211, 16) recuperavit; X 27 (234, 9) recuperata; 31 (237, 1) recuperavit; 33 (239, 16) recuperatis; 46 (313, 21) recuperatione. quod si ita est, etiam VII 5 (163, 22) lectio A praebentis *reciperatio* abicienda erit reponeturque, quod in aliis scriptum est codicibus, *recuperatio.* ceterum librarius A similiter erravit XI 16 (257, 18) 'munus' (minus A); 23 (263, 15) 'quadrupedum' (quadripedum A).

Baehrens codices secutus edidit XII 34 (301, 27): 'culpaeque d o c i m e n t u m fuerunt'. fortasse *documentum* auctor orationis scripsit; nam ea forma alibi legitur: VII 10 (168, 9) dedere documentum; 11 (169, 6) documento; IX 6 (197, 12) item; XI 26 (265, 29) documenta; 28 (266, 27) item. cf. simile vitium M X 28 (235, 7) 'murum' (mirum M).

ibid. 21 (147, 21): *itaque sicuti pridem tuo, Diocletiane Auguste, iussu i m p l e v i t deserta Thraciae translatis incolis Asia, sicut postea tuo, Maximiane Auguste, nutu Nerviorum et Trevirorum arva iacentia v e l u t postliminio restitutus et receptus in leges Francus excoluit: ita nunc per victorias tuas —, quidquid infrequens Ambiano — solo Lingonicoque restabat, barbaro cultore revirescit.*

In hoc loco constituendo Baehrens Bertiniensem codicem secutus est, qui *iussu implevit* praebet. sed ea mera est interpolatio. nam dubium esse vix potest, si aequabilitatis loci rationem habes, quin scribendum sit: 'i u s s u deserta — Asia c o m p l e v i t', ad quam lectionem ducimur codicis M scriptura. nam *complevit* eius nititur auctoritate, pro *iussu* est in AV *iussupplevit*, *iussu supplevit* in C. tenendum esse hoc *complevit* apparet ex verbis ultimo loco positis in ceteris enuntiatis (cf. *excoluit*, *revirescit*). in *iussupplevit* librarium ad '*complevit*' praevertisse oculis censendum est. similiter verba finita ultimo loco sunt collocata in comparatione, quae est XII 10 (279, 25): 'ut indefessa vertigo caelum rotat, ut maria aestibus inquieta sunt, ut stare sol nescit: ita tu, imperator, continuatis negotiis — semper exercitus es.' cf. et 15 (294, 18); 38 (306, 4). de verbo *complendi* cf. VII 6 (164, 14) campos hostium strage completos; VIII 11 (189, 20) cum non esset spes ulla complendi; IX 9 (199, 28) summi imperatoris officia compleveras; 20 (208, 19) set enim multis capitibus rostra complevit.

Velut scribitur e Langii opinione pro *laetus*, sane ad sensum apte; cf. XI 23 (263, 6) tu — exulantes relegatasque virtutes ad rem publicam q u o d a m postliminio reduxisti. sed quoniam *velut* non ita facile in *laetus* transiit, quis prae-

stat eam esse genuinam lectionem? vide ne subsit potius *leges* ex subsequentibus praesumptum. nam *postliminio* carere posse illo *velut* discimus ex XII 2 (272, 27): libet igitur redditam postliminio securitatem loquendo experiri.

VI 4 (151 20): *plurimas ille barbaras nationes victoriis domuit, venia mitigavit.*

Victoriis Baehrens dedit; cui lectioni non adsentior. nam aequabilitatis causa oratorem dixisse verisimilius est 'victoria domuit, venia mitigavit', ut scriptum iam a Cuspiniano. cf. VII 11 (168, 23) sed nec victoriam possunt sperare nec veniam; II 11 (98, 27) quod iam milites vestri ad oceanum pervenere victoria. sane A habet *victores*, quod favere videatur plurali *victoriis*; sed hoc existere potuit finali syllaba praecedenti 'nation*es*' adaequata. item valet aliquid, quod BCV *victor* praebent, non *victores.*

ibid. 6 (152, 16): *neque enim dubium, quin tibi mature sacrum istud fastigium divinae potestatis <is> astrueret, qui te iam olim sibi generum — sponte delegerat.*

Pronomine *is*, quod Baehrens addidit, facile carere potest oratio. quin immo excludendum erit eo magis, quod *-is is* nullum extat apud hos scriptores, qui grati verborum soni mirum quantum fuerunt diligentes, exemplum.

Sed etiam *-it id* deest apud eosdem; quare XI 1 (245, 15) non est cur Schenkelii opinionem comprobemus scribentis: 'ingens iudicii tui fuit <id> munus'.

ibid. 6 (152, 29): *quamquam enim ipsi ferant difficillimam esse praecipuae cuiusque formae imitationem, quia certis sui notis cito deformitas exprimatur, similitudo tamen pulcritudinis tam sit ardua quam rara est pulcritudo: non tamen tantum ille cepit laboris ex ore vestro divinas species transferendo.*

Tamen, quod exhibent post *similitudo* codices, mirum est tolerare editores. nam enuntiatum praecedenti opponitur, ita ut *vero* vel *autem* magis conveniat sententiae. neque credibile est tali sensu *tamen* hic posuisse oratorem; nam hoc propter subsequens *tamen* facere noluisset. mihi igitur dubium non est, quin delendum sit. quomodo huc inlatum sit, dici pro certo non potest; probabile vero est illud ex dittographia subsequentis *tam* originem duxisse. deleto eo asyndeton oritur satis potens, quale est in huius orationis cap. XII (157, 30):

omnes exercitus — requiescere te post tanta opera utcumque aequo animo tulerunt, imperare desisse numquam crediderunt.

ibid. 10 (156, 15): *quod ego cursim praetereo. cur enim b e l l i recordemur adversa, cum videamus omnia tuo reditu restituta?*

Pro *belli*, quod Baehrens novavit, in M *vel* fuit; ego non video, cur tradita scriptura damnetur. orator enim ait ipsam adversorum, quae perpessi sint cives absente imperatore, recordationem prorsus inutilem esse, cum damna inlata sarta sint eius reditu. quo modo calamitates illae extitissent, non necesse erat significari, quoniam res omnibus notissima erat. ceterum ut h. l., ita aliis harum orationum locis *vel* verbo additur: V 3 (134, 10) nimios tamen in diversa discursus vel revisenda poscebat; 15 (142, 27) nec vel moraretur impetum; IX 16 (205, 8) ne septenarium illum numerum — vel inchoando violaret; XII 3 (273, 16) an — potuerimus huiusmodi principem v e l (*voto* coniecit Arntzen praeter necessitatem) optare; 41 (308, 21) ceterum quando quod factum est v e l o p t a s t i?

VII 4 (162, 23): *te enim tantus ille et imperator in terris et in caelo deus in primo aetatis suae flore generavit a d h u c toto corpore vigens, illa praeditus alacritate ac fortitudine quam bella plurima p r a e c i p u e<q u e> campi videre Vindonii.*

In iis quae sunt *adhuc toto corpore* Baehrens Bertiniensis codicis secutus est auctoritatem, antea *toto adhuc corpore* vulgabatur, ut est in BCVW. Bertiniensis scriptura ex corrupta lectione *toto adhuc toto corpore*, quae servata est codice A quaeque fortasse etiam in M fuit, oriri potuit nec multum ei est tribuendum. certe negari non potest veram esse posse codicum BCVW memoriam, immo videtur alteri illi praeferenda, siquidem usu horum oratorum confirmatur, qui solent *adhuc* adiectivo vel participio attributi instar posito postponere: V 14 (142, 11) cunctantibus adhuc ducibus; X 16 (226, 14) Herculem ferunt tenerum adhuc atque lactentem — angues — elisisse; 36 (242, 3) cruda adhuc hieme iter confecit. de mendo A cf. V 5 (135, 12): et [cum A] paene cum solo nomine relicta. eodem modo erravit scriba codicis Bertiniensis X 24 (231, 12): 'ad unum [omnibus] interfectis omnibus, tuis integris, horrorem armorum — transtulerunt.' ibi Baehrens multum, ut aliis locis, tribuens Bertininiensi prae codicibus ceteris scripsit praeter necessitatem 'ad unum o m n i-

bus interfectis hostibus, tuis integris'. nam ex iis quae praecedunt patet *omnibus* esse *omnibus hostibus*. cf. etiam XII 22 (291, 14) 'quaecumque natio barbarorum robore ferocia [*aut* Bert.] numero gravis umquam nobis fuit, aut boni consulit ut quiescat aut laetatur'; III 7 (108, 10) 'neuter (*neuterque* A) plus suis moribus favet; uterque se vult hoc esse', ubi Baehrens 'neuter qui<ppe> . . .' coniecit.

Mox *praecipue<que>* Baehrens recte scripsisse videtur; certe quidem eius scripturae favent duo loci eiusdem panegyrici, qui sunt: 21 (177, 21) te vocare ad se templa videntur praecipueque Apollo noster; 23 (179, 3) commendo liberos meos praecipueque illum — tractantem. monui hoc, quod Schenkl 'illa praeditus alacritate ac fortitudine quam bella plurima <ac> praecipue campi videre Vindonii' proposuit; nam *ac praecipue* vel ob hoc minus placet, quod *ac fortitudine* praecedit.

ibid. 4 (163, 4): *accipe, imperator, <non> ancipitem nostrorum sensuum confessionem.*

Non ancipitem Baehrens scripsit codice W nisus, qui *ancipitem* solum suppeditat. in A legitur *accipitem*, in Bert. fuit *accipientem*, in BCV est *accipe*. quid in M fuerit, certo dici non potest, sed *accipe* vel potius *accipite* eum habuisse satis est probabile; *ancipitem* W mera est interpolatio. etenim *ancipitem confessionem* repugnat sententiae et *non ancipitem confessionem* non est necessarium; nam sufficere *confessionem* nudum apparet ex his locis: III (1 (102, 14) gaudeo igitur, si fas est confiteri, dilatam esse illam cupiditatem meam; VII 18 (174, 29) quid multa? confitendum est <tibi>,*) imperator. mihi *accipe*, quod in BCV extat, sincerum videtur. orator iterat verbum *accipe*, perinde atque alibi maioris gravitatis causa voces repetuntur in his panegyricis. cf. II 11 (98, 18) vestra haec, imperator, vestra laus est; VII 8 (166, 17) illa, inquam, illa maiestas — facile te continata est; X 9 (220, 11) ferebas tamen, imperator, ferebas illum — ludentem; 36 (241, 23) tuos, Constantine maxime, tuos liberos ac deinceps nepotes tecum optat; XI 15 (256, 13) gratias tibi, gratias, imperator; XII 12 (291, 25) solus igitur, Auguste, solus — praestitisti.

ibid. 8 (166, 17): *illa, inquam, illa maiestas, — pinnis commissa Victoriae, tam facile comitata est, quam cito ad terras caelo missa perveniunt.*

---

*) Hoc nulla necessitate addidit Baehrens; nam dativus ille facile subauditur.

Comitata mera est coniectura w; vera enim scriptura est *continata*, quod servavit B et V. pro eo *contiuata* A habet, unde e coniectura scriptum est *continuata* in Bert. et C. verbum *continandi* etiam alibi mutationibus erat obnoxium. restituendum est apud paneg. etiam XII 36 (303, 25): 'aut quos cursu non poterant continari, iaculis occupare'. nam ibi *continuare* ex Bert. Baehrens scripsit, *continere* Gruterus dedit. sinceram scripturam A solus conservavit; nam *continere* in CW inest, *contineri* in BV habetur. utroque loco vides Bertiniensem interpolationis convictum.

Similiter apud Apuleium *continari* ab editoribus propellebatur et nuper demum a van der Vliet in suum ius restitutum est. cf. met. 1, 24 inde me commodum egredientem continatur Pythias condiscipulus; 5, 31 sed eam protinus Ceres et Iuno continantur (*continuantur* Fφ); 6, 18 iamque confecta bona parte mortiferae viae continaberis claudum asinum (*continuaveris* Fδg, *contingueris* φ); 7, 25 deierans nullum semet vidisse ductorem sed plane <me> continatum solutum — occupasse; 11, 6 dimotis turbelis alacer continare (*continuare* Fφδ) pompam meam; 11, 22 atque eum cubiculo suo commodum prodeuntem continatum (*continuatus* δ) saluto. cf. Kiessling, Coniect. spicil. in ind. schol. Gryphisw. sem. aest. 1883; Weyman, Amor et Psyche p. 48; Petschenig, Wien. Studien 1882 p. 162.

ibid. 11 (169, 1): *arat illam terribilem aliquando ripam inermus agricola.*

Formam *inermus*, quam A servavit, ferendam hoc loco esse non existimo. nam alibi in his orationibus non reperitur; cf. XI 7 (250, 9) armatorum atque inermium perpetuus ordo; XII 30 (298, 25) ut ab inermibus verterentur armati; 36 (303, 21) armati inermes, integri saucii. itaque *inermis*, quod scriptum est in BCVW, l. l. reponi oportere iudico.

Item *hilaris*, non *hilarus* illis placuisse consentaneum est. et deprehenditur illud XI 12 (253, 27) sed hilarem ducamus aetatem; 26 (265, 20) nescit aliorum imperatorum hilarem diritatem. inde concludi possumus IV 14 (125, 22) 'hilari consensu', ut scriptum est in altera M progenie, veram esse lectionem, non hilaro, quod exhibent codices A Bertiniensisque.

ibid. 14 (170, 31): *quamlibet enim merito pietatis tuae questibus acuatur, debet tamen sibi vox privata moderari, praesertim cum eum qui tibi ex tantis beneficiis tuis et tanto*

necessitudinum f o n t e *ingratus extiterit adhuc* c o n t e m p l a <t u> *tui* c o g a m u r *quamvis irati* r e v e r e r i.

In his satis multa Baehrensius mutavit, nec probabiliter pleraque. *arguatur* retinendum fuisse recte monuit C. Schenkl, item *favore*, quod Lange proposuit pro *fore* M et *fonte* w, sententiae aptissimum esse iure dixit. miror eidem *contemplatu tui*, quod Baehrens e *contemplatui* M elicuerat, placuisse. nam ignorant hi oratores hoc substantivum, constanter voce *contemplatio* usi: V 15 (143, 5) nisi quod vestri contemplatione constabat de victoria non posse dubitari; VI 1 (149, 11) et ipsa vultuum vestrorum contemplatione sentimus; X 4 (216, 22) nihil ab eius contemplatione deflectunt. eodem modo illi dicunt *imitatio* non *imitatus*, *adulatio* non *adulatus*. itaque forma *contemplatio* erit h. l. praeferenda.

Iam, quae deinceps sequuntur, ad emendandum difficilia sunt. nam pro *cogamur* in M habebatur *cogat ut*, pro *revereri* autem *revereat*. probabilem Baehrensii coniecturam 'cogamur quamvis irati revereri' non esse propter clausulam hexametricam supra diximus. sed alioqui aptam effici sic sententiam sane non diffitemur. ipsi certam loci emendationem non invenimus, sed illud monitum velimus, quod neglexisse videtur Schenkl, cum proponeret: 'adhuc contempla<tu> tui quamvis irati cogar ut reverear', non nisi cum infinitivo iunxisse hos scriptores verbum *cogendi*: II 9 (97, 1) illos mater astu coegit — regnare; 13 (100, 11) cum non cogaris eligere; V 8 (138, 1) omnes se dedere cogerentur; VII 5 (163, 26) sed etiam feritatem ponere cogerentur; 6 (164, 20) ita se dedere cogeretur; IX 7 (198, 1) Constantinum tu tantum sanguinis fundere coegisti; 8 (199, 10) clausos — experiri armis coegisti; X 24 (231, 7) quos ictu perturbaverant, ruere cogebant; 26 (233, 7) nisi quod te ipsa vis tua cogit agnosci; XII 25 (294, 1) immo etiam cogebamur mentiri beatos; 40 (308, 6) et quem vos cogebatis mori, vivum domino reservavi. cf. etiam VIII 14 (191, 26) quos inopia — in exilium ire compulerat; XII 24 (293, 12) sed coram oculis ferre compulsa victoriam Maximi, interitum Gratiani; 28 (296, 28) vita se abdicare compulsus est. hoc igitur erit in constituendo toto loco respiciendum; et scripsit in eum modum iam Baehrens, *revereri* pro *revereat* ponendo, sed longe a codicibus discedens. ni fallor, lacuna locus est corruptus et sic conformandus videtur: 'debet tamen sibi vox privata moderari, praesertim cum eum — adhuc contempla<tio> tui cogat ut <pium colere>, quamvis ira referveat'. hoc *ira referveat* iam a w est scriptum.

ibid. 14 (171, 5): *usurpabo nimirum illa communia omnium facinorum patrocinia, quae tamen plerumque etiam a sapientibus asseruntur.*

Substantivum *facinus*, ut hic, ita alibi ab his oratoribus malo tantummodo sensu adhibetur. qua re ad inritum cadit Baehrensii opinio, X 36 (241, 23) scribi oportere putantis: 'tuos — liberos ac deinceps nepotes tecum optat, ut tanto a pluribus petantur, quanto maiora <eorum facinora> noscuntur.' hiare tamen locus et mihi videtur; fortasse fuit: 'maiora <ab iis gesta> noscuntur'.

ibid. 15 (171, 23): *cui tu summa et diversissima bona, privatum otium et regias opes, dederas, cui digredienti aulicos mulos et raedas, cui impensius etiam quam tibi occurrere obsequia nostra mandaveras, cuius omnibus iussis sic statueras oboedire, ut penes te habitus, penes illum potestas esset imperii.*

Aulicos mulos et raedas Baehrens scribere ausus est pro *ad anulos sederas* M. licet sententia, quae isto existit invento, aliquatenus probetur, quis, oro, credere poterit ex tali scriptura natum esse, quod codices servarunt? praeterea recepta Baehrensii coniectura perit relativorum enuntiatorum concinnitas (cf. *cui — dederas; cui — sederas; cui — mandaveras*). ego non dubito, quin tradita memoria integra sit servarique debeat, quamquam non comparent idonea exempla, quibus defendatur. accedo Gruteri opinioni, sinistram partem illo „ad anulos sederas" significari existimantis.

ibid. 16 (172, 32): *rara illa virtus continentiae vix a paucis sapientiae praeceptoribus — servata propter te, Constantine, omnibus hominibus est facta communis, nec solum his, quos ratio litterariae vitae ac quies mitigavit, sed etiam ille militarium ardor animorum respectu tui lucra contempsit.*

In M *omnium hominum* scriptum fuisse ex eo pro certo habere possumus, quod ABCV eam servarunt lectionem. quodsi *omni homini* W exhibet, prae illis testibus non multum valet et vel errore librarii vel eius industria lectio ea oriri potuit. illam M scripturam quominus teneamus, nihil impedit, quoniam *communis* et cum dativo potest coniungi et cum genetivo. quin immo horum scriptorum consuetudine lectionem *omnium ho-*

minum iubemur tueri. nam non 'omnibus hominibus', sed 'cunctis hominibus' auctor panegyrici dixisset, si dativo usus esset. etenim quemadmodum Ammianus Marcellinus (cf. Cur. Amm. p. 7 sq.), ita hi panegyristae, scilicet ut *-ibus -ibus* vitarent, pro *omnibus* plerumque ponunt *cunctis* (raro *universis*) addito nomine, quod syllabis *ibus* terminatur: II 11 (98, 8) gentibus universis; V 15 (142, 30) universis navibus suis; VI 4 (151, 21) cunctis hostibus; VII 22 (178, 12) cunctis moenibus; VIII 3 (182, 17) cunctis (M, *Cottiis* Baehrens) Alpibus; XI 24 (264, 17) a legionibus cunctis; 28 (267, 6) illic gaudentibus cunctis. eximendi sunt duo loci, III 6 (106, 30) 'omnibus opibus omnique fortuna', ubi propter anaphoram *omnibus* adhibitum videtur, et V 18 (145, 22) 'omnibus nationibus securitas restituta'. — cf. II 5 (93, 16) omnibus locis; III 1 (102, 18) lustris omnibus; 10 (110, 3) omnibus oppidis; 11 (111, 7) omnibus viris; IV 16 (127, 13) omnibus divitiis; V 17 (144, 26) terris omnibus; 20 (146, 30) omnibus saeculis al.

Quod si ita est, vulgata olim lectio restituenda erit: 'omnium hominum est facta communis, nec solum hi quos ratio — mitigavit . . . .' huic *hi* etiam *nec solum* favet, quod cum *sed etiam* ex usu oratorum iungendum est.

ibid. 16 (173, 6): *multi olim pravi duces, certasse armis impares, largitione certarunt: sed brevis eorum fuit et caduca popularitas, quos facile vicit, quisquis aemulatus est.*

Pro illis *pravi duces certasse* in M fuit *fortasse pravi duces*. tradita scriptura quin male se habeat, minime ego dubito; nam quae in illo *fortasse* inest dubietas, ea non convenit huius loci sententiae. at *certasse*, quod inde Baehrensius elicuit et ante *armis* posuit, nullo modo comprobari potest, quoniam nusquam sic infinitivum perf. act. cum adiectivo, si *contentus* exceperis, coniunxerunt hi scriptores. praeterea vox illa turbat enuntiati concinnitatem ('armis impares largitione certarunt'). cum etiam *pravi* nullo sententiae damno hinc abesse possit, eo adducor ut credam verba *fortasse pravi* interpretis esse et ex margine huc irrepsisse.

Nec magis alteri Baehrensii mutationi huius loci accedere possum, illi *aemulatus*, pro quo in M *imitatus* legebatur. nam et hoc prorsus aptum videtur sententiae.

ibid. 17 (173, 27): *talem Macetum illum regem, talem Thessalum virum mente concipio, quorum summa virtus pulcritudini coniuncta celebratur.*

Quod Baehrensius *Macetum* scripsit pro *magnum* M, non sustulit mendum, quo hic locus aeger est. primum enim forma *Macetes* nihil habet apud hos oratores veri similitudinis, quoniam nusquam apud eos sic appellantur Macedones; cf. IX 5 (196, 6) magnus Alexander cum praeter Macedonas suos cunctae Graeciae — dilectum posset indicere; X 10 (228, 28) Macedonas bello lacessierunt — verum Macedones cum bellum reficerent; XII 39 (307, 7) Macedonico augenda regno. deinde non est cur *magnum*, quod optime huc quadrat — nam Alexander significatur —, mutetur. lacuna potius locus laborat explendusque est sic: 'talem m a g n u m illum regem <M a c e d o n u m>, talem Thessalum virum mente concipio'.

ibid. 20 (176, 20): *illi te intellegimus pepercisse, quem, si prima copiam habuisset irruptio, eripere f e r r o nemo potuisset.*

Ferro certa lectio non videtur. nam in Bertiniensi solo habetur, cum *ferre* A, ceteri *fere* praebeant. apparet Bertiniensis scribam *ferro* e lectione *ferre* effecisse. illud vero *fere* vel *ferre* dittographia ex '*eripere*' oriri potuit; certe *eripere* solum sententiae sufficit, siquidem idem valet ac *servare;* cf. VII 8 (166, 16): quis enim te Cyllarus aut Arion posset eripere.

Idem dittographiae mendum subesse videtur paulo supra 19 (175, 23), ubi iam w emendavit: 'at enim [num] primo tuo, imperator, adventu'; nam illo *nunc*, quod ex *num* Gruterus effecit, nihil opus est. tempus enim illis *primo tuo adventu* satis indicatur.

Tale vitium deprehenditur etiam VI 12 (157, 28), ubi in M habetur: 'neque id m i r u m c u m (= mirum rum) enim a te recessit imperium'. sed sublata dittographia deest negativa, quae a librario in hoc errore, ut saepe fit, omissa erat. ea, cum *neque* antecedat, inserto *non* prorsus probabiliter a Schenkelio reposita est, qui scripsit: 'neque id mirum. <n o n> enim a te recessit imperium'. cf. III 3 (104, 21) non enim in otiosa — parte — estis; VII 8 (165, 25) non enim ulla — tela; VIII 14 (191, 21) non enim maioris est muneris; IX 14 (203, 23) non enim se inbellem, sed beatum; 15 (204, 20) non enim res erat tibi; 21 (209, 6) non enim fessus proeliis; X 1 (213, 17) non enim se capit; 28 (234, 18) non enim casu, non fiducia; XII 2 (272, 18) non enim iam coacta laudatio; 9 (278, 29) non enim te amoena litora; 11 (280, 25) non enim te princeps solus; 25 (294, 6) non enim se vivere gratulatur. *minime*, quod Baehrens pro *cum* dedit, non ita confirmatur usu horum scriptorum.

Dittographa syllaba IV 4 (119, 12) complures criticos in errorem induxit; nam cum in M scriptum sit *principis irrogaret* (= princip*isis* rogaret), alii aliud invenerunt, velut *imploraret* Bongarsius, *invocaret* Gruterus, *ir<rito> rogaret* Baehrensius. *rogaret* plene satisfacit sententiae.

ibid. 21 (177, 4): *omnem — tranquillitatem redisse didicisti, ipsa hoc sic ordinante fortuna, ut te ibi rerum tuarum felicitas admoneret dis immortalibus ferre, quae votaveras.*

Frequentativum *votaveras* Baehrens invexit, ut mea fert sententia, non recte. nam alibi *vovere*, nusquam *votare*, his oratoribus est usitatum; cf. II 6 (94, 27) dum pro futuris vovetur; III 1 (102, 5) voveram autem — (v. 10) voveram, inquam; VIII 9 (186, 23) soli ultra omnium nostrum fata victuro securi vovemus; XII 32 (300, 2) populis — ultroneam tibi operam ferre voventibus commilitii munus indulges; 37 (305, 14) pueros tibi longam servitutem voventes. cf. etiam 4, 16 (128, 3) spiritum — devoveam; 5, 19 (146, 26) posteros devovebant. itaque ad lectionem, quae antea vulgabatur, *voveras* redeundum erit. quod si M praestat 'vo*ca*veras', syllabam *ca* intrusisse librarium dicemus; nam talia etiam alibi de suo addidisse eum demonstrare possumus. cf. II 7 (95, 5) illo[rum M] amne muniri; IV 19 (130, 14) mo[ni M]tus; V 2 (133, 21) det (de te M) igitur; 9 (138, 7) voluis[ti M]set; VII 13 (170, 1) in hosticum (AW Bert.; hostem cum BCV); VIII 5 (184, 5) miseri[cordi M]ae; 6 (184, 27) impedi[men A]tum; IX 1 (193, 3) no[men M]bis*) elaboratum; X 31 (237, 6) domit[i]um. accedit quod in hist. Aug. v. Heliog. 15, 7 pro 'ad vota concipienda' scriptum extat in P 'advo*ca*ta concipienda'.

Cum hoc mendorum genus in M eiusque progenie grassatum sit, haud difficile dictu erit, quomodo XII 3 (273, 16) legamus. nam cum ibi *recogitasse* habeat A, *rogitasse* BCVW, verum esse *perrogitasse* Baehrens sibi persuasit atque ita in editione sua scripsit: 'altorum vulnerum cicatrices — manu pendente tractabo, per sententias isse et singulos universosque perrogitasse contentus'. cum simplex verbum *rogitandi* sententiae plene satis faciat, ego non dubito, quin scriptura alterius codicum stirpis *rogitasse* vera sit et scriba A litteras *ec* huic verbo per neglegentiam intruserit.

ibid. 21 (177, 14): *et immo quid dico 'credo'? vidisti teque in illius specie recognovisti.*

---

*) Baehrens interrogat: 'an *nobismet*'? minime, inquam; nam ea pronominis forma non utuntur hi panegyristae et *nobis* sufficit.

Immo sedem mutasse arbitror; nam ad *vidisti* pertinet. ego cum Acidalio legerim: 'et quid dico „credo"? immo vidisti'.

Paulo infra 22 (177, 25) vulgatur: 'quando illum dabitis diem, quo praesentissimus hic deus — illos quoque Apollinis lucos et sacras sedes et anhela fontium ora circumeat'. *sedes* nec traditur codicibus — nam in iis *edes* est — nec videtur loco aptum. etenim cum etiam Apollinis luci haud dubie sacris sedibus adnumerandi sint, non significatur illo *sacras sedes* res ab illis diversa. at contra locus recte se habet, si cum codicibus scribas: 'et sacras aedes' i. e. delubra, quae in lucis illis constituta erant. cf. etiam III 10 (110, 6) ibi aedes sacras — verrebat; XII 21 (289, 22) ut primum sacras aedes et dicata numini summo delubra visamus.

ibid. 22 (178, 10): *sicuti video hanc fortunatissimam civitatem — cunctis moenibus resurgentem.*

Pro *sicuti* in M scriptum fuerat *sicut hic.* id dittographia *sicut sic* videtur ortum. quod ego ex ea re suspicor, quod inde a panegyrico VI. non *sicuti* legitur in his orationibus, sed *sicut*, quemadmodum ibi tantum *velut* (tredecim locis) apparet, non *veluti*, quod saepius (septem*) locis) in paneg. II—V occurrit. cf. VI 3 (150, 18) sicut tuo — socero ante est conciliata divinitas; 13 (158, 17) sicut huic voto congruit, in sermonis fine coniungam; VIII 9 (137, 31) sicut agros — ubertat; 11 (189, 22) sicut aegra corpora — sanantur.

Pro *ut* legitur *uti* uno loco, XI 19 (259, 27): 'uti quispiam — videbatur'. nam XII 10 (280, 17) *ut* propter aequabilitatem restituerim: 'cum omnia faceres, ut[i] imperare deberes, nihil tamen faciebas, ut imperares'. et potuit *i* ex *imperare* facile adhaerescere. cf. IX 4 (196, 2) te conservati[o M] orbis — gratulatio; 2 (214, 19) quas[i M] in posterum redundaturas.

ibid. 22 (178, 15): *video basilicas et forum — sedemque iustitiae in tantam altitudinem suscitari, ut se sideribus et caelo contigua et vicina promittant. quae certe omnia sunt praesentis munera.*

*) Incertum *veluti* est II 11 (98, 3): 'illam *veluti iunctis* dexteris gubernetis'. nam cum *velut invictis* M habeat, etiam *velut iunctis* scriptum esse potuit. ceterum eo ipso loco *etiam* M teneri poterit, si lacunam subesse statueris scripserisque: 'quominus etiam <pariter illam> velut iunctis dexteris gubernetis'.

Contigua Baehrens non probabiliter scripsit pro *digna;* nam hoc satis longe remotum est ab illo. tum *contigua* non apte cum *vicina* iungitur, siquidem illud rem maiorem significat. mihi dittographia subesse videtur haec: 'caelo [uicna] vicina promittant'. cum *vicna* in *digna* mutatum esset, non mirum quod *et* accessit.

Dittographia etiam paulo infra v. 21 locus corruptus est, ut iam Baehrens suspicatus est: 'in his omnia et hominibus et moenibus [et muneribus] augentur'. male tamen ille fecit, quod praetulit lectionem a se inventam: 'et moenibus ex muneribus <tuis>'. nam orator dicere haud dubie voluit ipsa imperatoris praesentia omnia ibi, quo venisset, augeri.

Ut ad locum, quem supra proposuimus, revertamur, non probabiliter ibi Baehrens *praesentis* dedit pro *praesentia* M. nam *praesentia<e tuae> munera*, quod Livineius invenit, veram esse scripturam usu horum oratorum satis evincitur: II 13 (100, 16) praesentiam vestri sibi fingit; 14 (101, 17) praesentia tua fruimur; III 1 (102, 12) apud tanti praesentiam numinis; 13 (112, 25) maiestatis vestrae praesentia caret; V 13 (141, 18) praesentiae tuae terrore tutatus es; VII 8 (165, 29) praesentiae tuae securitate laxasti; 21 (176, 28) et tuam ubique praesentiam — expetimus; VIII 2 (180, 27) quae adhuc assiduitate praesentiae tuae — fruitur; IX 22 (209, 27) et praesentia tua — terruisti.

VIII 1, (180 16): *nec enim mihi verba quamvis imparato defuissent; quis enim aut praeparare se ad beneficia tam insperata potuisset aut ab tanta gratulatione cohiberet?*

Non *cohiberet*, sed *cohibere* ego pro sincera duco scriptura; nam infinitivum aequalitas enuntiati, cuius studiosi sunt hi oratores, poscit. cf. IV 11 (124, 15) hoc ego salarium — expensum referre patriae meae cupio et ad restitutionem huius operis — destinare; XI 1 (244, 20) etiam nunc tacere voluissem et prorumpens — gaudium intra arcanae laetitiae conscientiam cohercere; 32 (270, 5) quod solum vel accipere potest ista fortuna vel a nobis opibus tuis tribui; XII 41 (308, 25) sed quatenus aut ista optari potest aut ille vitari; IX 7 (198, 22) quis tam demens videbatur, ut aut obsideri auderet aut congredi? — cf. etiam IX 1 (193, 7) cohibere me silentio nequeo.

ibid. 3 (181, 29): *fuit amica Massilia, sed protegi maiestate Romana gratulabatur.*

Sed protegi Baehrens edidit pro *protegi se*, quod in M fuit. sed dubium esse non potest, quin iam Livineius veram lectionem invenerit, quae est: <sed> protegi se. nam *se* M retineri debere post *protegi* inde apparet, quod hi oratores non omittunt *se* vice subiecti fungens in structura acc. c. inf.; ex magno talium locorum numero delibare iuvat V 9 (138, 22): et servire se militiae nomine gratulatur; VII 22 (178, 13) ut se quodam modo gaudeat olim corruisse; XII 25 (294, 6) non enim se vivere gratulatur. quod cum ita sit, adsentior prorsus Livineio scribenti VII 11 (168, 21) 'sciunt posse <se> Franci transire Rhenum' vel Baehrensio ipsi X 11 (221, 26) proponenti: 'an credidit conserenda manu non inferiorem <se fore>'. quod si hac in constructione illi scriptores *se* supprimendum non censuerunt, quis est qui credat omisisse ibi eos *te*? quare Baehrens non debuit dubitare X 11 (222, 1) id ipsum supplere scribendo: 'dolis, credo, existimavit <te> decipi posse'.

ibid. 4 (182, 24): *dicet aliquis 'vetera ista sunt'; et quidem hoc sanctiora quod vetera.*

Sic Baehrens edidit alios secutus et recte edidit. sed adnotavit in appendice p. 324: „rectius interpungitur, ut Hauptius vidit, ita: dicet aliquis 'vetera ista'; sunt, et quidem eqs." non necessariam esse hanc verborum divisionem ex hoc exemplo occupationis Ciceroniano patet, quod est de fin. 2, 25, 81: 'at multis se probavit (Epicurus). et quidem iure fortasse, sed tamen non gravissimum est iudicium multitudinis'. nam et hic occupationis refutatio ab *et quidem* capit initium. ceterum cf. etiam paneg. IX 10 (200, 20) 'ignava', inquies, 'sunt haec exempla'; sed tuta graviorque metus est periculi tui quam laetitia victoriae.

ibid. 4 (183, 13): *ob haec igitur merita tam prisca divus pater tuus civitatem Aeduorum voluit iacentem erigere perditamque recreare.*

Tam Baehrens scripsit pro *et* M. vera ea lectio non videtur. nam *et* ex *tam* oriri non potuit nec ob prisca tantum merita imperator Claudius iacentem Aeduorum civitatem erigere voluerat, verum etiam ob ea, quae nuper praestiterunt. itaque deesse quaedam in codicum memoria videntur; ni fallor, legendum est: 'ob haec merita et prisca <et recentia> divus pater tuus . . .' et commemorantur proxima eorum merita p. 183, 2.

ibid. 5 (183, 28): *nihil enim libenter audis, nisi quo prospera tuis gratuleris.*

Minore conatu corruptam scripturam emendare licet. nam cum *quos pro tuis* M suppeditet, scribere sufficit: 'nisi quod pro tuis <esse> gratuleris' i. e. nisi quod tuis utile esse laeteris. cf. II 7 (95, 4): et quis — princeps non gratulatus est Gallias illo amne muniri; V 9 (138, 22) et servire se militiae nomine gratulantur; VI 2 (150, 8) quod millesimo anno — evenisse tandem gratulabantur; XII 25 (294, 6) non enim se vivere gratulatur. cf. et Liv. 28, 33, 9: Scipio pro se esse loci angustias ratus; 35, 15, 9 quae pro causa essent, dicturum.

ibid. 6 (185, 10): *radices enim vitium, quarum iam nescimus aetatem, milies replicando congestae altitudinem debitam scrobibus excludunt et ipsam propaginem non abditam sed obiter tectam produnt imbribus et solibus perurendam.*

Sic Baehrens locum constituit; in M fuit *debitam* pro *abditam*, *obtectam* pro *obiter tectam.* Baehrensii coniectura, quamquam non est sensu pravo, non videtur praeferre scripturam veram. nam adverbium *obiter* non est usitatum his oratoribus nec videtur hic apte positum esse. ego aliter codicis memoriam interpretor. *debitam* quin ex superioribus irrepserit genuinumque attributum expulerit, dubium esse non potest. hoc, si usum horum oratorum spectamus, cum *opertam*, esse potuerit, existimo in sequentibus repetitum inde falso *op* esse et *obtectam* scriptum pro *detectam*, quod sensu postulatur. itaque legendum conicio: 'et ipsam propaginem non opertam, sed detectam produnt imbribus eluendam et solibus perurendam'.

Paulo infra cap. VII (185, 20) non iure videtur codicum scriptura sollicitari: 'vidisti enim non, ut per agros aliarum urbium, omnia fere culta aperta florentia, vias faciles, navigera flumina ipsas oppidorum portas alluentia, sed statim ab eo flexu, e quo retrorsum via ducit in Belgicam, vasta omnia, inculta squalentia, muta tenebrosa, etiam militaris vias — confragosas.' *aprica* enim Baehrens scripsit pro *aperta* M, cum Haupt *uberta* (Herm. IV 151) proposuisset. hoc *aperta* ferri posse existimo; intelleguntur enim loca culta nec per incultum sentibus vepribusque impedita, quibus opponuntur mox loca inculta vastaque.

ibid. 10 (188, 22): *diu venturi hominis partus optatur, diu vagitus inconditi locuturam differunt vocem; diu fruges*

hiemps cohibet, ver elicit tepore, *aestas solidat* calore *[maturat].*

Ita Baehrens locum exhibuit; in M fuit *flore* pro *tepore*, tum *calor ematurat* pro *calore maturat.* scripturam genuinam a Baehrensio inventam esse ego non existimo. nam in primo enuntiato cum desit ablativus, ut *frigore* vel *rigore*, turbatur tricoli aequabilitas. locus adnotatione marginali 'flore<m> calor ematurat', qua explicabatur 'solidat', mixtus mihi videtur scribendumque ea exclusa reor: 'diu fruges hiemps cohibet, ver elicit, aestas solidat'. sic impetratur ea, quae affectatur ab his oratoribus, partium concinnitas. ceterum cf. adnotationem marginalem in verba scriptoris intrusam XII 28 (296, 16): illud purius splendidiusque credebat [quod dedissent dolentes], quod hominum lacrimae, non amnium aquae abluissent.

ibid. 12 (189, 29): *quamquam enim adhuc sub pristina sarcina vacillemus, tamen levior videtur, quia vicino* tempore fertur: *exonerandi praesumptio dat patientiam sustinendi.*

Tempore fertur vel *feretur* proposuit Baehrens mus. Rhen. vol. XXVII p. 221, in editione scripsit tempore fertur, cum in M fuerit *vicino perfertur* et in Bertiniensi *vicino nemo praefertur.* emendatione Baehrensiana non videtur acquiescendum esse, cum non exprimat sententiam, quae h. l. desideratur. ex illis 'exonerandi praesumptio dat patientiam sustinendi' apparet oratorem dixisse: cives vacillare quidem sub gravi onere, sed patienter tamen onus ferre, quod sperarent proximo tempore liberos se eo futuros. eam sententiam assequemur, si inserta negatione legerimus: 'tamen levior videtur, quia vicino <tempore non> feretur'. ita etiam hexametrica clausula *tempore fertur* expelletur. sed non est, cur copulatum verbum *perferre* hinc extrudamus, praesertim cum pro simplici *ferre* aliquotiens in his orationibus legatur, velut XI 13 (254, 30) hieme pruinam — perferatis; 32 (270, 19) neque in laboribus perferendis industriam — defuturam. itaque probabilius locum sic constituemus: 'quia vicino <tempore non> perferetur'. quo modo lacuna extiterit, in propatulo est; librarius nimirum post 'vicino' ad *nō* aberrando scripsit *perfertur*, omisso *tempore non.*

ibid. 13 (190, 24): *o lustrum quod merito hanc imperii tui aequarit aetatem! nobis ergo praecipue te principem di* munificum *creaverunt, quibus singulis haec est nata felicitas, ex quo tu imperare coepisti.*

Munificum e coniectura sua edidit Baehrens pro *nūm A* et *numinum* Bert. (in altera codicum stirpe aut lacuna est aut vox omissa) satis audacter. nam tantum non alienum est *munificus* ab usu horum oratorum*) nec h. l. necessarium. ceterum pro *munificum* haud ita facile scripturus fuit librarius *numinum* vel *numina*, quod in *nūm* A latere videtur. ego glossema subesse arbitror, pertinens ad *di*, scribendumque: 'nobis ergo praecipue te principem di [numina] creaverunt'. hoc eo magis conicere licet, quod idem additamentum extare videtur paulo supra (VIII 7 [186, 10]): 'di boni (sic BCVW; at *di m̆m* A, *di mīn.* Bert.), quisnam ille tum nobis illuxit dies'. nam *di m̆m*, unde is, qui scripsit Bertiniensem, ex sua opinione — nam haud raro verba emendare conatur — fecit *di min.*, vix quidquam aliud esse potest quam *di nūm* (= di numina), ita ut glossa *numina* extrusam esse veram scripturam, quae servata est altera M stirpe, *boni* iudicandum sit. de exclamatione *di boni* cf. III 11 (110, 25) quid illud, di boni! quale pietas vestra spectaculum dedit; VII 8 (165, 29) di boni, quanta — felicitate donastis; 9 (167, 7) di boni, quid hoc est; 17 (173, 22) pulcrum enim, di boni, et caeleste miraculum imperator adulescens; VIII 7 (186, 10) di boni, quisnam ille tum nobis illuxit dies. *di magni*, quod Baehrens l. l. scribere malit, non legitur apud hos scriptores. ii praeter *di boni* tribus locis *di immortales* sic adhibent: V 5 (135, 18) di immortales, vota suscipio; VI 13 (158, 18) di immortales, quanta — renovastis; VII 22 (177, 25) di immortales, quando illum dabitis diem. sed etiam alia plura sunt in horum panegyricorum memoria talium additamentorum exempla. cf. VIII 6 (185, 7) in voragines est [stagna] conversum; 7 (186, 5) scires [itinerum] regionum nostrarum aditum — tam foedum; X 14 (255, 13) usque ad opulentiam [abundantiam] esurientem iam urbem refersit; 32 (238, 18) continuo defaecatum [statim purum] est; XI 3 (246, 18) quid enim aliud a te consortis [imperatoris] alienavit animum nisi gloriae tuae splendor; 17 (257, 28) sed a teneris annis [ab aetate puerili] ad hanc usque canitiem; XII 15 (284, 15) quique quam f a c i l e s tibi fuissent [sequaces] discipuli; 28 (296, 16) illud purius splendidiusque credebat [quod dedissent dolentes] quod hominum lacrimae, non amnium aquae abluissent.

*) *Munificus* uno loco XII 27 (296, 2) 'famae bene consulit m u n i f i c u s imperator' extat, alibi *liberalis* (*liberaliter, liberalitas*) legitur: IV 11 (124, 8) liberalisssimi principes — iusserunt; XI, 12 (253, 19) parcus in semet in cives suos tam liberalis; VI 5 (151, 28) quidquid tu iuste ac liberaliter feceris; IV 19 (130, 6); VII 22 (178, 9) templa tua liberalitate reparentur; VIII 14 (191, 20) quantum liberalitate tua consecuti sumus; IX 15 (204, 8) al.

Atque haec additamenta interpretum ab aliis iam notata sunt. latius patere hoc vitiorum genus in panegyricorum memoria, quam vulgo putant, ego mihi persuadeo. velut XI 28 (267, 15) scribendum videtur: 'nitentia per orbem [serena] refundi', ut supra dixi. mera tautologia occurrit X 17 (227, 3) 'inde per obiectas acies, per exercitus obvios usque ad Romana moenia — percucurrit', quae tolletur incluso *per exercitus obvios*. in illis XI 19 (259, 31) 'spadones quoque, quos quasi a consortio humani generis extorres ab utroque sexu aut naturae origo aut clades corporis separavit' *ab utroque sexu* redundat post *a consortio humani generis* spuriumque videtur. ceterum IV 17 (128, 19): 'mox in ista urbe perspecto probato hominum amore' cum iis facio, qui *probato* secludunt; cf. III 19 (116, 6) perspectis hominum moribus et exploratis rerum — eventis; X 21 (229, 19) et longe operosior clementia eius quam fortitudo perspecta est.

ibid. 13 (191, 8): *quid ergo nos convenit gratulari de hoc indulgentiae tuae lustro? lustro quo, licet illa frugum cessarit ubertas, fecisti tamen, ut omnia largiora videantur fuisse quam fuerint.*

Alterum illud *lustro* mera videtur dittographia, librario oscitante orta. certe sic hi oratores voces non iterant. et abest verbum illud a BCV codicibus. deinde non est cur *illa — cessarit* cum Baehrensio legamus; nam lectio M *nulla — cesserit* facile intellegi potest. etenim 'licet nulla frugum cesserit ubertas' valet 'licet nulla nobis frugum contigerit ubertas', quae sententia a loco non est aliena. cf. XII 44 (311, 22) vos quoque, quibus secunda sors cessit, dare famam rebus. dativus *nobis* l. l. facile subauditur.

ibid. 13 (191, 14): *hoc nobis est ista largitio, quod Terra mater frugum, quod Iuppiter moderator aurarum: quidquid illi parcius dederant, nobis tamen ex beneficio tuo auctum est.*

Auctum, quod Baehrens pro *natum* M dedit, sensu sane est idoneo. sed tamen *natum* servari potest, si post *tuo* suppleveris *uberius*. hoc *uberius natum est* concinne opponitur illi *parcius dederant* et, ni fallor, verum est.

IX 3 (194, 25): *Alpes transgressus es, ut appareret penitus considerantibus (id quod nos fugit tui amore trepidantes) non dubiam te, sed promissam divinitus petere victoriam.*

Baehrens Livineium *penitius* proposuisse adnotavit, quae lectio ne mentione quidem digna fuerat. nam trepidantes

ideoque praepropere rem iudicantes recte opponuntur penitus considerantibus, male vero opponantur considerantibus penitius i. e. existimantibus accuratius, quam illi, qui accurate rem omnino non existimarunt. accedit, quod comparativum illum parum laudabilem *penitius* ignorant hi oratores: III 3 (103, 13) et inspecta penitus veritate cognovimus; 17 (114, 24) Gothi Burgundios penitus excidunt; V 2 (133, 17) deusta atque exhausta penitus Alamannia; 8 (137, 20) ita penitus aquis inbuta permaduit; 17 (144, 19) Francorum <opes> penitus excisae; X 9 (220, 24) vel extingueret penitus vel modice temperaret.

ibid. 6 (197, 17): *nec vero temere ac passim vagis hostibus — sed acie in cunei modum structa, descendentibus retro in altitudinem lateribus, quae scilicet, cum prima avide confligeret, conplexa impeditos certamine circumirent.*

Hic locus nondum est ab editoribus persanatus. nam pro *scilicet* in M fuit *si*, pro quo scriba Bert. exaravit *s.*; eo nisus Livineius *scilicet* legendum existimavit. nos, quam nulla sit Bertiniensis prae A fides, cum cognoverimus, illud *si* tenemus. post hoc *si* lacuna locus laborare videtur. nam milites hic significandi erant, ad quos subsequens *impeditos* referretur. deinde substantivum apud *prima* desideratur, si quidem *acies* praecedente *in altitudinem* durius omittitur. itaque sic verba videntur explenda: 'quae, si cum <tuis acies> prima avide confligeret . . .' denique pro *conplexa*, quod Baehrens invenit, A *conflexa*, BCVW *reflexa* suppeditant. utrumque sane per se est tolerabile, sed *reflexa* tamen veri similius. nam *conflexa* in A pro *reflexa* scribi potuit praepositione ex praecedenti voce male iterata.

Sequuntur in Baehrensii editione haec: 'sed tu id providens praemisisti utrimque qui obviam irent et simul, siquid insidiarum lateret, excuterent; ipse obtruncato illo capite deiectaque acie in fugam versa tanto maiorem in processu stragem edidisti'.

Obtruncato Baehrens invenit pro *offirmato* M parum probabiliter. nam *offirmato* ex *obtruncato* nasci aegre potuit, nec corruptum videtur, si quidem sensu *duro* et *pertinaci* intellegi potest. ceterum *obtruncato* etiam eo non videtur genuinum, quod vox ea de hominibus per dolum occisis plerumque ponitur, non de interfectis in pugnae tumultu. verum retento *offirmato* deest post *capite* participium caedem ducis designans. hoc in *deiectaque*, quod sequente *in fugam versa* redundare videtur, latere existimem. rescripserim ergo locum sic: 'ipse offirmato illo capite deiec<to to>taque

acie in fugam versa'. cf. X 29 (235, 27) quos trabalis hasta tua deiecit, insultans ecus proterit.

ibid. 7 (198, 7): *oblati undique commeatus, ut appareret, quam diu desiderassent, cui se iam prompte bello adhuc restante committerent.*

Non *iam*, quod Baehrens scripsit, sed *etiam* est M memoria. hoc *etiam* prave se habere iam Cuspinianus Livineiusque animadverterunt. atque ille *tam* emendavit, quod iure posteriores amplexi sunt editores. nam hoc *tam* apte refertur ad ea quae praecedunt *missae ab omnibus legationes, oblati undique commeatus. iam*, quod Baehrens praetulit, nihili est. ortum autem est *etiam* ex *tam,* adsumpta *e* littera ex *se.* nam *etam* suppletum deinde in *et<i>am.*

ibid. 8 (198, 26): *sed enim aerumnosa illa et iam pridem perdita, aetate nostra civili sanguine maculata, Verona maximo hostium exercitu tenebatur.*

Cur a vulgata scriptura 'sed enim aerumnosa illa et iam pridem media aetate nostra civili sanguine maculata, Verona' recedamus — nam quod *pridie medita* A habet, nihili est —, non intellego; etenim locus sic intellegi potest: et iam pridem, media aetate nostra, civili sanguine maculata Verona' i. e. 'iam pridem, cum media etiamtum aetate essem'. cf. III 5 (105, 22) et multi summa eloquentia praediti saepe dixerunt et ego pridem, cum mihi auditionis tuae divina dignatio eam copiam tribuit, quantum potui, praedicavi; VIII 13 (191, 4) iam tunc enim, in illa vetere re publica, ad censoriam laudem pertinebat; II 5 (92, 32) statim, vixdum misero illo furore sopito, cum omnes barbarae nationes — irruissent, quis deus — salutem nobis attulisset? VII 1 (160, 10) neque mediae aetatis hominem ostentare debere subitam dicendi facultatem.

Et Baehrensii 'et iam pridem perdita, aetate nostra civili sanguine maculata' et Schenkelii 'et iam pridem ante aetatem nostram c. s. m.' falsam esse scripturam etiam ex oratorum usu vocis *pridem* apparet. nam de rebus eam ponere solent, quae eorum aetate evenerunt, non de rebus, quae prius factae sunt; de his *olim* vel *quondam* utuntur: III 1 (102, 10) voveram autem, ut me dignatione, qua pridem audieras, rursus audires; V 1 (133, 5) praesertim cum — ipse ille iam pridem mihi — divinarum patris tui aurium aditus evenerit; 21 (147, 21) itaque sicut pridem tuo, Diocletiane Auguste, iussu deserta Thraciae translatis incolis Asia complevit; VI 7 (153, 18) eius filio, quem tibi

pridem et affinitate adsciveras et maiestate sociaveras; 11 (157, 4) imperasti pridem rogatus a fratre; VII 7 (165, 16) cum omnium deorum fuerit illa sententia, et quidem iam pridem auctoritate perscripta; IX 3 (194, 18) et quid opus erat ipsi Rheno — classibus, quem iam pridem barbaris nationibus virtutis tuae terror obstruxerat; 15 (204, 4) maiestatem illam urbis, quae pridem admotos exercitus sollicitaverat, iam flagitiis ipsius deformatam; 25 (211, 20) gaudet e caelo et iam pridem vocatus ad sidera adhuc crescit in filio; X 30 (236, 12) perstringi haec satis est, quod et iam pridem (Acidalius; *pridie* M) prolixius mihi dicta sunt; 32 (237, 27) ubique iam pridem (Eyssenhardt, *quidem* M) laetitiam rei diffuderat Fama velox. — IV 18 (129, 31) quae non diu quondam Saturno rege viguerunt; V 3 (134, 5) o Kalendae Martiae, sicuti olim annorum volventium, ita nunc aeternorum auspices imperatorum; 6 (136, 1) atque illis (piratis) olim mari fretis alluentem portas ademit oceanum; 18 (145, 16) navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas.

ibid. 8 (199, 9): *exercitus parte traiecta ancipiti periculo, clausos obsessosque omissa remora experiri armis coegisti.*

Substantivum *remora* Baehrens scripsit pro *pemora*, quod M traditur. sed valde dubium est, an auctor huius orationis usus sit ea voce. nam in hoc ipso panegyrico duobus locis occurrit vox *morae*, quemadmodum haec sola in ceteris extat: IX 15 (204, 14) sine ulla haesitandi mora; 19 (208, 1) gaudere cuncti spectaculorum mora; — III 8 (109, 4) sentiunt corporum moras; 11 (111, 1) omnes adorandi mora restiterunt; VII 3 (162, 8) quamvis te super omnes acquirendae gloriae moras favor fortunae posuisset; 18 (174, 13) sibi moram facere; 18 (174, 27) eluctati Araris moras; X 5 (217, 26) moram considerandi itineris non habetis; 36 (241, 28) aetatis mora non retardata; XII 11 (281, 4) moras augere fatorum; 43 (310, 12) nulla iam reliqua festinandis rebus mora. itaque deleta superflua syllaba *pe* legendum erit *omissa mora*. scriba fortasse errore ad '*pe*riculo' reversus initium eius vocis exaravit; cf. tale vitium IX 11 (201, 7) *Aq*uileiam quoque de legatis eorum [*ac*] supplicibus; X 26 (233, 1) tu tamen, *in*perator, non [*in*] tutior tempore quam deo tectior; XII 21 (290, 8) maiestatem — inminui et [*in* A] vulgari putabant.

ibid. 9 (199, 20): *et primo quidem, ut audio, aciem instruxeras duplicem, mox proviso adversarium numero explicari statim in frontem ordines — iussisti.*

In forma *adversarium* scribenda Baehrens codicem A secutus est; mallem familiae alteri paruisset, quae iustam formam *adversariorum* praebet. nam admodum raro breviorem illam formam huic longiori hi panegyristae praeferunt; equidem haec modo exempla notavi certa: II 6 (94, 16) bona venia deum dixerim; III 3 (104, 6) terrores inferum — compescuit; IV 11 (124, 9) in sexcenis milibus nummum; VII 7 (165, 8) illi superum templa patuerunt; 8 (166, 18) Iridi deum nuntiae; 9 (167. 8) nova deum numina. scriba A duas litteras (*or*) l. l. in illa voce videtur omisisse, ut etiam XI 14 (255, 18) *adversariumque* scripsit pro *adversariarumque.*

Dubius est locus VII 21 (177, 11), ubi vulgatur: 'quae tricenum (triceno M) singulae ferunt omen annorum.' ibi iustam formam *triceno<rum>* ipse M indicat sua scriptura. tum verisimilis fit lectio talis verborum compositione; nam homoeoteleuton tricenorum — annorum interiectis vocibus aliis hic mollitur perinde ac multis locis aliis, velut II 3 (91, 28) vestrorum sunt ornamenta meritorum; 7 (95, 1) qui tuorum esset armorum; 14 (101, 17) tuorum in nos caelestium beneficiorum; V 18 (145, 12) paucorum ex Francis captivorum; VIII 8 (187, 5) clarorum instrumenta modulorum; X 36 (241, 16) tantorum Roma compos bonorum; XII 7 (277, 3) rationem ipsorum etiam videamus annorum; 17 (286, 20) et beneficiorum summas tuorum pro tua voluntate ducentes; 25 (293, 27) perfunctorum honoribus summis virorum bona publicata; 39 (306, 30) otiosorum ministeria membrorum. accedit, quod genetivi illi breviores nudi omnes positi sunt, non cum alio nomine iuncti. ceterum de terminatione gen. pl. *-rum* in codicibus truncata conferre proderit ea, quae dixit Gertz in editione Sen. dial. p. 412 et sq. alterum exemplum huius mendi extat apud ipsos panegyricos XI 25 (264, 28): 'scilicet ut ipsorum prudentia vulgo suorum (*suo* BCVW; *suorum* A Bert.).

Restat locus V 10 (139, 5), ubi Baehrens edidit: 'tunc enim sive incuria deum (*rerum* M, *deorum* Eyssenhardt) sive quadam inclinatione fatorum omnibus fere membris erat truncata res publica.' sed tradita scriptura non videtur corrupta; nam illis *incuria rerum* intellegenda est hominum Romanorum neglegentia rerum et socordia.

ibid. 9 (199, 27): *prospexeras omnia, disposueras universa, summi imperatoris officia compleveras.*

Baehrens ad Bertiniensis scripturam *omnia universa* adnotat „fort. recte." quae opinio improbanda est. nam

pleonasmus *omnia universa*, quem apud Frontonem Apuleiumque legimus, prorsus est ab his scriptoribus alienus. scriba Bert. codicis per neglegentiam revertit ad superiora et *omnia* iteravit. oscitationis eius etiam alia, ut supra dixi, habemus documenta. cf. IX 2 (193, 26) tene, imperator [*an* Bert.], tantum *an*imo potuisse praesumere; X 15 (225, 19) hoc certe [*uel* Bert.] uberius nec infirmius *ue*ritate.

ibid. 9 (200, 5): *toto quippe impetu ferebare, torrenti similis amni, quem abruptae radicitus silvae et convulsa funditus saxa sequerentur.*

Toto integra est lectio nec in *tanto*, quod Eyssenhardt scribendum existimavit, mutanda. *toto* enim idem fere ac *summo* hic valet, qua vi saepe posterioris aetatis scriptores hoc adiectivum abstractis substantivis adponunt. late patet hic usus in maioribus declamationibus quae feruntur Quintiliani; cf. 5, 20 tota defectione conticuit; 8, 5 tota libertate proclamat; 9, 7 tota cogitatione intentus; 10, 7 inveni arte tota . . . labore toto; 13, 4 cum toto fortunae strepitu circumstetisset; 14, 6 tota velocitate grassari; 15, 14 toto terrore convenire; 18, 11 tota crudelitatis arte grassari.*) item apud Apuleium frequenter *totus* sic positum legitur. non raro editores ipsi *totus* ita adhibitum mutarunt, velut Baehrens Arntzenium secutus paneg. VI 9 (155. 15) scripsit: 'quamquam, etiamsi tutam (*totam* M) excusationem aetatis afferres, sic quoque tibi rei publicae curis non erat abnuendum', ubi *totam* facile explicare licet sensu *plenam* vel *plene satisfacientem*. simili modo in Hist. Aug. v. Prob. 1, 3 Cornelissen scribendum putavit 'omnesque partes in tutam (*totam* codd.) securitatem redactae sunt', sed et hic codicum memoria pro sincera est habenda. cf. et Amm. Marc. 16, 12, 51 tota celeritate egredi festinabant.

Ceterum locus, de quo exposuimus, ad formam pan. II 5 (93, 22) ab oratore detornatus est: 'toto quippe proelio ferebare, non aliter quam magnus amnis solet hibernis imbribus auctus et nivibus passim fluere qua campus est.'

ibid. 11 (201, 13): *corripi eos vincirique iussisti non ad supplicium, sed vitam.*

Paene pro certo habeo ante *vitam* excidisse *ad*; nam hi oratores iterant praepositionem post *sed* praeeunte negatione, item post *quam* praecedente *tam* vel comparativo: IV

*) De ea re egit C. Morawski ephem. gymn. Austr. 1881 p. 11.

4 (119, 12) non solum pro admiratione meritorum, sed etiam pro miseratione casuum attollere; VII 1 (160, 17) idque — non ex ingenio meo, quod mediocre est, sed ex laudum vestrarum copia metiuntur; 13 (169, 29) hoc tu magis ad gloriam imperii tui et ornatum limitis facias quam ad facultatem — in hosticum transeundi; IX 2 (193, 22) ut ante de constantia expeditionis tuae dicam quam de laude victoriae; 23 (210, 21) ut ingrati et perfidi non minus doloris ex ludibrio sui quam ex ipsa morte patiantur; X 6 (218, 11) quae non ex misericordia, sed ex honore venerunt; 21 (229, 20) plus in conservanda urbe quam in capienda fuerat laboris; 37 (242, 11) et hoc ad tuam gratiam non ad sui ostentationem; XI 16 (257, 1) non solum cum infimis, sed etiam cum ignotis familiaritatis imago simulanda; 24 (264, 17) non modo a comitibus et tribunis tuis, sed a legionibus cunctis — diligaris; XII 5 (275, 17) nonne hodie pauciora in annalium scriniis quam in vestrae domus titulis cognomenta legerentur; 7 (277, 4) non solum in amplissimis magistratibus adipiscendis sed in praeturis quoque aut aedilitatibus capessendis; 32 (299, 24) nec tam ad proelium conserendum quam ad supplicium de nefario capite sumendum.

ibid. 19 (207, 6): *felices, qui te propius aspicerent; longius positi nominabant; quos praeterieras, loci, quem occupaverant, poenitebat. vicissim homines inde* *i l i c o* *accedere, hinc sequi; certare innumerabilis multitudo et impulsu vario fluctuare.*

Ilico pro *dico* M scripsit Baehrens. si tale adverbium in sententia praecedenti 'loci — paenitebat' positum non est, ego non puto voce *ilico* opus esse hoc loco. mihi *dico* M non corruptum videtur, sed potius interpolatum. addere illud potuit, quem fugerat infinitivos historicos subesse (*homines — accedere — sequi*), non constructionem acc. c. inf.

ibid. 19 (207, 18): *gloriatus sit licet, et vere, summus orator humeris se Italiae in patriam reportatum: te, Constantine, senatus populusque Romanus et illo die et aliis, quacumque progressus es,* *e t* *u l n i s* *ferre gestivit.*

Iniuria hic Baehrens lectionem, quae traditur codicibus, *et oculis* sprevit. *oculis ferre* sane hyperbola est audaciae plena, sed quae tribui possit panegyristae impudenter adulanti. dicit enim senatum populumque Romanum vel pretiosissima corporis parte, ipsis oculis imperatorem suum portare cupisse. praeivit hac in exaggeratione rei iam auctor panegyrici VI., qui cap. 8 (p. 154, 25) dixit: 'te primo ingressu

tuo tanta laetitia, tanta frequentia populus Romanus excepit, ut, cum te ad Capitolini Iovis gremium vel oculis ferre gestiret, stipatione sui vix ad portas urbis admitteret'. sane etiam hinc *oculis* propellit Baehrens scribendo *velocius* pro *vel oculis*, sed eodem scilicet iure ac loco, de quo egimus. cf. hyperbolam XII 29 (297, 28): hos ille Falaris in amicis habebat, hi in oculis eius atque etiam in osculis erant.

ibid. 20 (208, 11): *quamlibet verba tua in senatu habita nobis <non> nota sint, tamen qualia fuerint clementiae tuae gloria nuntiavit.*

Non inseruit Baehrens Iaegero obsecutus. sed allitteratio '*no*bis *no*n *no*ta' gravior est quam quae huic oratori adiudicari possit; certe talia — dico allitterationem duobus litteris constantem in tribus vocibus repetitam — non extant in hisce orationibus. quapropter revertendum puto ad lectionem Livinei, minime illam violentam, quae est: 'quamlibet — nobis <ig>nota sint'.

ibid. 20 (208, 14): *irrupit te olim Cinna furiosus et Marius.*

Revocandus est verborum ordo, qui fuit in M, *olim te*, quem ordinem sprevit Baehrens prae Bertiniensis scriptura *te olim.*

ibid. 22 (209, 21): *tu, Constantine, solus infatigabilis bellis bella continuas, victorias victoriis cumulas. quasi praeterita sint oblitterata, si desideas, non putas te vicisse nisi vincas.*

Desideas Baehrens elicuit ex *desidenas*, quod in A inest. ego non dubito, quin scriptura A evenerit male iterata syllaba initiali, ita ut vera sit lectio *desinas*, quae in BCVw habetur et olim vulgabatur. nam etiam sine infinitivo facile poni potest verbum *desinendi* et sunt talis loquendi usus idonea exempla apud hos scriptores: III 16 (113, 30) illud vero — quoquo modo dicam, antequam desinam; VIII 9 (187, 21) intrepidanter dicere, apte desinere; V 21 (148, 11) et nunc desinendi et saepe dicendi. cf. etiam Ter. Ad. 5, 3, 67 iam iam desino; Cic. off. 1, 37, 135 ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus; Quint. 8, 6, 50 quo ex genere coeperis translationes, hoc desinas. cf. et hist. Aug. v. Max. duor. 3, 3: neque ille a currendo — desisset; 4, 4 sub Macrino — a militia desiit. Baehrensii inventum eo minus

probaverim, quod ignorant hi oratores verbum, quod est *desidere,* quamquam saepius eo potuerunt uti.

ibid. 23 (210, 23): *inde est quod, cum exitum differre liceat, perire festinant seseque letalibus vulneribus et morsibus offerunt.*

Praepropere Baehrens h. l. vulgatam *mortibus* deseruit, recepto quod ipse invenerat *morsibus.* nam *mortibus* facile intellegi potest, cum *morsibus* post *vulneribus* redundet, quoniam et *morsus* in vulneribus sunt habendi. *mortibus* enim gradatio quaedam est illius *letalibus vulneribus.* nam cum mortibus se offerunt captivi, moriuntur statim, cum letiferis vulneribus non numquam aliquanto post accepta vulnera pereant. pluralis ille *mortes* aliquot locis in panegyricis ultimis legitur: XI 13 (254, 19) per infestos gladios praesentesque mortes imperium petivistis; XII 29 (297, 10) de virorum mortibus loquor; 30 (298, 26) et qui obtulerant mortibus pectora, darent terga verberibus; 36 (304, 2) isti mortes receptas in silvas et flumina differebant.

ibid. 26 (212, 21): *fac igitur ut, quod optimum humano generi dedisti, permaneat in aeternum omnesque Constantinus in terris degat aetates.*

In aeternum Baehrens edidit Bertiniensi permotus codice; nam *aeternum* sine *in* positum ceterorum est lectio librorum. sed cum codicis Bertiniensis solius parva sit fides prae ceterorum auctoritate, melius stabimus h. l. ab horum scriptura, praesertim cum ea nihil sit offensioni. cf. VI 12 (158, 5) non mutuum istud tibi tradidi, sed aeternum; X 38 (243, 13) et plurimum sumitur, ut, cum res largiter suppetat, spes tamen illibata permaneat.

ibid. 26 (212, 24): *quamvis enim — iam divina soboles tua ad rei publicae vota successerit et adhuc speretur futura numerosior, illa tamen erit vere beata posteritas, cui cum liberos tuos gubernaculis orbis admoveris, tu sis omnium maximus imperator.*

Pro *cui* M habuit *ut.* hoc servari poterit, si lacunam esse post *tamen* statuerimus, factam omisso ablativo *condicione,* cum quo *illa* iunctum fuerit, i. e. si legerimus: 'illa tamen <condicione> erit vere beata posteritas, ut — tu sis — imperator.' cf. X 13 (254, 20): at nunc ultro vobis potestas regnandi datur, ut ea qua Iulianus condicione

regnetis, ut pro omnium otio die noctuque vigiletis et — libertati civium serviatis.

X 3 (215, 3): *quis, inquam, aspirare laudes tuas audeat aequiparandi magis spe quam gratia non tacendi.*

Ante *laudes* intercidisse videtur *ad.* certe transitiva vi non utuntur hi panegyristae verbo *aspirandi*: IV 1 (117, 12) nunc — ad insolitum mihi tribunal aspirem; 12 (124, 29) ad uberrima ista compendia laudis aspirat; IX 14 (203, 15) non ille aspirare in campum; XI 17 (258, 1) unde enim mihi aspirandi ad hoc nomen esset amentia; XII 31 (299, 12) in illud tyrannici nominis aspirasse furtum. sed ne alibi quidem *aspirare* eo sensu cum accusativo iungitur. cf. etiam Cic. or. 40, 140 sed haec — ad eam laudem, quam volumus, aspirare non possunt; Liv. 4, 35, 6 non modo ad spem consulatus in partem revocandi adspirare non audeat; hist. Aug. v. Alex. Sev. 28, 4 cum quidam — ad militiam adspirasset; Opil. Macr. 1, 1 nisi adspirassent ad imperium.

ibid. 3 (215, 19): *nobilissimorum quoque Caesarum laudes exequi velle studium quidem dulce, sed et cura non mediocris est.*

Baehrens mutato vulgatae ordine verborum pro *non et cura* M dedit ex Eyssenhardti opinione *et cura non*, quod probari nequaquam potest. nam vulgata lectio sana est. sententia scilicet est: Caesarum laudes praedicare velle studium quidem est dulce, sed non, ut hoc studium dulce est, ita etiam cura ea facilis. cf. etiam paneg. Auson. p. 357, 16 P.: facies alios quoque consules, piissime Gratiane, sed non et causa pari. accedit quod non dicunt hi panegyristae *sed et* sensu *sed etiam*, verum pro eo adhibent *sed etiam* vel *sed — quoque*, quamquam admittunt *sed et — et.*

ibid. 4 (216, 19): *quippe indoles similis est, sed sub eodem magistro discendi fortuna felicior.*

Similis est Baehrens elicuit ex *similes* M, vitium ex scriptura *simil̄ est* ortum esse ratus. sed in hoc *similes* scriba haud dubie terminationem vocis praecedentis iteravit, quemadmodum II 9 (96, 27) scripsit 'illi reges Lacedaemones' pro 'illi reges Lacedaemonis', id quod iam Livineius intellexit.*) itaque l. l. *similes* nihil est aliud quam *similis*

*) Eodem modo XII 9 (279, 8) erratum videtur, ubi scribi sufficit 'ne contraheres torpore (*torporis* ACW, *corporis* BV) veternum'; nam mendum ex 'contraher*es* torpor*es*' evenire potuit. cf. X 16 (205, 5) ut ex inveterato illo torpore (corpore A) — subito prorumperet.

scribendumque: 'indoles similis, sed — fortuna felicior.' in copula *est* omissa certe non haerebimus, praesertim cum saepius eam hic orator non posuerit, velut mox 5 (217, 23) dixit 'nullae cupiditatum deflexiones, nullus erroris anfractus'; 14 (224, 15) magnus hic quoque pietatis tuae fructus; 15 (225, 9) neque enim in hoc veri interpolatrix tenenda; 15 (225, 19) hoc certe uberius nec infirmius veritate; 16 (225, 22) magnum hoc, imperator maxime, sed de tua pietate non mirum; 25 (232, 8) per tota moenia admodum magna vis hominum, sed apud Brixiam plerique iam fracti; cf. XI 20 (260, 19) itaque omne studium pecuniae coacervandae; XII 37 (305, 5) nullus cuiquam sui tuive respectus; 43 (310, 12) hinc nulla iam reliqua festinandis rebus mora; IX 13 (202, 28) foeda et degener talis conversio.

ibid. 9 (220, 18): *quin extorques animo tuo et conveniendi studium et concordiae voluntatem.*

Et prius solus Bertiniensis habet. cum in ceteris libris non extet, a M afuisse pro certo habere possumus et in Bertiniensi sive errore librarii sive voluntate extitisse. sic sine dubitatione illud delere possumus, quoniam eius ponendi nulla videtur necessitas.

ibid. 11 (221, 19): *licet non sit in his ratio desideranda, qui semel de via praecipites ire coeperunt,* <*non*> *mirari tamen non queo, cur id delatum non amplexus sit, quod impudens esset si auderet optare.*

Nequeo aliquotiens apud hos scriptores legitur: IV 6 (120, 29) indulgentiam mirari satis nequeo; IX 1 (193, 7) cohibere me silentio nequeo; X 8 (219, 28) qui tueri nequeunt; 27 (234, 7) quae diducta ferre nequeas; XI 12 (253, 18) mirari satis nequeo; 20 (260, 16) quod adsequi nequiverunt.

Rarius *queo* reperitur, sed non nisi iunctum cum negativa aut positum in interrogatione, quae est sensu neganti: VIII 11 (189, 13) non queo satis dicere; X 2 (214, 20) quis omnium queat flagrantissimis — studiis satis facere?

At non ita certum est *queo* l. l.; nam lectionum ibi est varietas. cum enim A habeat *non queo*, legitur in BCVW *nequeo.* facilior res diiudicatu esset, si de *non mirari* constaret. nam si haec esset vera scriptura, certo dicere possemus *nequeo* hic olim fuisse, non *non queo*, quoniam vix orator *non* ter tantulo intervallo positurus fuerat. nunc vero pro *non mirari* etiam *satis mirari* hic esse potuerat. si ita scriptum fuit, tum sane *non queo* tolerabile erat. ego tamen vel sic *nequeo*

praetulerim scripserimque, quod iam Livineius suaserat: 'mirari tamen <satis> nequeo, cur id delatum non amplexus sit', quia haec ipsa verba extant iam IV 6 et XI 12. in A *non queo* eo extitisse videtur, quod librarius *non* ex sequentibus praeoccupavit.

ibid. 15 (225, 2): *Romano quodam in bello ferunt duo cum equis iuvenes extitisse spectandos forma pariter ac viribus, quia in dimicando praeter ceteros insignis fuissent, iussu imperatoris ad remunerandam industriam requisitos.*

Spectandos Baehrens novavit, scriptura A nisus, quae est: *spectant os.* antea legebatur *spectatos*, ut est in ceteris codicibus. utraque sane lectio tolerabilis est, haec altera veri similior. nam primum *spectatus* = *excellens*, *praeclarus* est frequentius (cf. *conspectus* eodem sensu). tum eodem fert codicum memoria; nam libri alterius familiae cuncti habent *spectatos.* quod in A est *spectant os*, hoc ex *spectatos* oriri potuit, illo *spectat* praecedenti 'iuvenes' adsimilato.
Tum ante *quia* excidisse *et* videtur; nam asyndeton offendit.

ibid. 17 (226, 30): *differamus parumper Italicas expeditiones, quibus Segusiensium civitatem — cum vi ac virtute velut ianuam belli refregisses, inde per obiectas acies — victoriarum impetus percucurrit.*

Vi ac Baehrensius scripsit pro *vie (viae)* M et *vi et* editionum priorum. sed dittographia *vi virtute* subesse potest, praesertim cum *vi* necessarium non sit. cf. IV 20 (130, 29) quidquid invictissimi principes — virtute devincunt; V 1 (132, 23) tot postea virtute vestra partae victoriae; 3 (134, 16) et qui Romanae potentiae terminos virtute protulerant; 10 (139, 13) nunc vero toto orbe terrarum — virtute vestra recepto; VII 5 (163, 20) qui eodem exercitu virtute capto, clementia conservato — terram Bataviam — omni hoste purgavit; IX 3 (194, 18) Rheno quem iam pridem barbaris nationibus virtutis tuae terror obstruxerat. *vi et (ac) virtute* nusquam extat apud hos oratores.

ibid. 21 (229, 12): *quae resistendi pertinacia ita in se imperatoris vim convertit, ut pietatem tamen non alienaverit. nam cum introitus vi manu<que> quaereretur —, maxima benignissimi imperatoris fuit cura.*

Manuque scribitur ex Pulmanni opinione pro *manu* M. sed alia magis placet emendandi ratio. cum enim *manu* idem

valeat ac *vi* et paulo ante *vim* praecedat, quaeri potest, nonne *vi* dittographum sit i. e. ex superioribus repetitum. quod si ita sit, *vi* deleri oportet et legi: 'nam cum introitus manu quaereretur'. sic et vitatur eiusdem vocis parvo spatio iteratio et 'manuque quaereretur', quod soni est parum grati.

ibid. 16 (225, 28): *cum gloria tua humanum modum superegressa sit, qui est omnium, quin opitulari tibi deum credat?*

Baehrens *superegressa* ex A recepit contempta ceterorum librorum quae adhuc vulgabatur scriptura *supergressa*. ego non puto hic verbum *superegrediendi* adhibitum fuisse, cum *super* in his orationibus iunctum non reperiam cum verbis copulatis; cf. IV 18 (129, 19) superfuso; XI 6 (249, 14) supervolans; XII 3 (273, 7) superfusis; 19 (288, 7) supervenire. illud *superegressa* A eodem modo extitisse iudico atque *inevehendis* A IX 8 (199, 5) pro *invehendis*.

Praeterea *quis* quod non scribitur a Baehrensio pro *qui*, satis mirum est.

ibid. 21 (229, 19): *et longe operosior clementia eius quam fortitudo perspecta est, cum plus in conservanda urbe quam in capienda fuerat laboris oreretur.*

Quia in A *ororetur* exaratum est, Baehrens *oreretur* scribere maluit quam *oriretur*, quae forma tradita est stirpe altera M receptaque erat in editionibus Baehrensiana prioribus. vulgata standum ego quoque existimo, cum legatur III 10 (110, 12): ecquinam dei illis montium verticibus orirentur; IX 22 (210, 5) qui securos adorirentur.

ibid. 25 (232, 1): *ipsa autem Verona farta immanibus copiis — facta est parumper metu cautior.*

Fartus perinde ac *farcire* abest ab usu horum scriptorum. inde parum placet *farta*, quod h. l. Baehrens scripsit pro *ferta* M; melius w correxit locum scribendo *<re>ferta*. cf. XI 14 (255, 13) usque ad opulentiam esurientem iam urbem refersit; XII 20 (289, 11) studiis virtutis — imbutum ac refertum.

ibid. 25 (232, 23): *sed eum exitus magis quam merita fefellerunt. nam furorem mors dem<um dom>uit, quem non potuerat nec considerati ratio nec victi formido sanare.*

Demum domuit Baehrens scripsit lectione BCVW nisus, ubi *demuit* exaratum est. antea solum *domuit* edebatur, ut inest in A. mihi Baehrensii scriptura non videtur retinenda esse. nam *domuit* sententiae sufficit, siquidem *demum* facile ex sententiarum nexu in *mors* subauditur. huc accedit, quod parci sunt hi oratores in adhibenda hac particula, fere non aliter atque Cicero (cf. Görenz ad Cic. de leg. 2, 4, 10) et Caesar ea usi. nam plerumque demonstrativis (*ita*, *tum*, *tunc*, *nunc*) illud ab iis additur: II 8 (95, 27) perspexeras ita demum hostes funditus posse subverti; 10 (97, 21) tunc demum integra auctoritate regnaret; IV 1 (117, 12) nunc demum — aspirem; 4 (119, 10) et tunc demum gravissima clade perculsam; 19 (130, 19) ita demum integrari putant, si — revirescat; 21 (131, 21) nunc enim, nunc demum iuvat orbem spectare depictum; VII 21 (177, 17) quod ego nunc demum arbitror contigisse; VIII 4 (183, 6) tum demum irrumpendas rebellibus Gallicanis portas reliquerunt; X 19 (228, 12) non tunc primum missi sed tum demum intellecti esse videantur; XI 1 (244, 17) quod nunc demum gratias agere exorsus sum; 31 (269, 26) nunc demum ut meruerim laborandum est; XII 14 (283, 24) illis demum cibis acquiescebant. hi fines neglecti sunt duobus locis, qui sunt: X 12 (222, 30) una demum Constantini oblivio est humani generis occasus; XII 12 (282, 6) ut nostro demum saeculo annuat factum. qui loci minime sufficiunt ad commendandam illam lectionem 'mors d e m <u m dom>uit', praesertim cum hic *demum* addatur substantivo, cuius usus non est ullum apud hos oratores exemplum. itaque melius a vulgata 'mors domuit' stabimus.

ibid. 26 (233, 19) *proelio vix multa nocte confecto fessus caedibus, anhelus e x b e l l o, cruore oblitus, sed hostili, ad obsidionis vigilias recurrebas.*

Bello Baehrens suspectavit et *velocitate* scribi malebat; item Schenkl vulgatam sollicitavit, *ex duello* proponens contra usum horum oratorum. sed loco mutato nihil opus est; *ex bello* non est aliud nisi *ex proelio.* eo sensu *bellum* in posterioris aetatis latinitate saepius ponitur, ut apud hos ipsos panegyristas. cf. X 24 (231, 16) et non iners nec futtilis bello; 25 (232, 21) et praecipitante iam die bellum non detrectavit, pugnae iam avidior quam salutis; XII 23 (292, 7) sic bella consulibus ancipiti Marte pugnata.

ibid. 29 (235, 10): *praetermittam hoc loco, Constantine maxime, disponendi militis tui miram incredibilemque rationem. hoc enim persequi <q u i> vellem? quem tenuisse locum caelestis exercitus dicam?*

Falso Baehrens *qui* h. l. supplevit. nam pro eo hi oratores semper *quo modo* dicunt. hoc etiam eo loco orator posuisset, si opus voce fuisset, quoniam ita *-qui qui* evitasset. sed interrogatio etiam sine *quo modo* recte se habet.

ibid. 29 (235, 25): *invadis primus aciem, solus irrumpis. obumbrant euntem telorum irriti iactus, sonat ictibus umbo securis. quos trabalis hasta <tua> deiecit, insultans ecus proterit.*

Securis Baehrens edidit; in M fuit *securus his*, unde antea legebatur: '. . . umbo securus. hos quos . . .' mihi non videtur *securis* ob loci sententiam ferendum esse. nam umbo scuti imperatorii erat securus, non ictus telorum hostilium, quibus illud non scindebatur, quae nullo damno re-
us
percutiebantur. tradita scriptura ex *securis* videtur explicanda; librarius non deleta falsa terminatione scripsit *securus is*, unde *securus his* facile natum est. sed etiam dittographia 'has quos trabalis hasta' codicum lectio potuit effici. nullo modo demonstrativum ante *quos* toleraverim. itaque pro vera scriptura haec habeo: 'sonat ictibus umbo securus. quos trabalis hasta . . .' non ab re erit admonere libentes hos oratores adiectivo quod est *securus* sententias claudere: III 13 (112, 24) convenire possitis nihilo minus orbe securo; VI 11 (157, 3) sed tua maiestate securus; VIII 12 (190, 6) et suos quemque iuvat numerare securum; 12 (190, 21) quae nos et praeterito liberos facit et in futuro securos; X 5 (217, 20) per omnes paternarum laudum vias ite securi; 11 (222, 2) quam prudentia est de fraude securior; 15 (225, 13) estote — de scriptorum religione securi; 26 (233, 18) pietate non retenta et maiestate secura; XII 11 (280, 28) potueris velle securus; 19 (288, 10) felicitas longior est expectare securum; 37 (305, 15) matres laetas virginesque securas; 44 (311, 16) iam iam esto securus. ea re adducimur, ut reiciamus Puteani opinionem, quam C. Schenkl comprobavit, scribentis: 'sonat ictibus umbo; securus is. quos . . .' accedit quod exceptis formis *esse* non ponunt hi scriptores voculas monosyllabas in fine sententiarum quodque clausula rhythmica — ∪∪ — ∪, quae inest in illis 'ictibus umbo', ab iisdem, ut supra dictum est, constanter vitatur.

ibid. 30 (236, 12): *perstringi haec satis est, quod et iam pridie prolixius mihi dicta sunt neque pro dignitate exequi copia est, ut ne pugna raptim gesta diutius narrata quam confecta videatur.*

Ne *et* periret, quod *A* post *copia est* habet, Baehrens scripsit *ut.* sed reicienda erit haec lectio, quoniam *ut ne* pro *ne* non est his oratoribus usitatum. uno loco sane *ut* — *ne* pro *ne* legitur, II 12 (99, 13): 'toto fere anno, imperator, quo tibi opus erat serenitate, ut navalia texerentur, ut trabes caederentur, ut artificum animi vigerent, ut manus ne torpescerent, nullus fere dies imbre foedatus est', sed haud difficulter intellexeris ob aequabilitatem oratorem illi 'manus ne torpescerent' *ut* praeposuisse. itaque l. l. scriptura alterius M stirpis sequenda erit. in A *et* ex dittographia (*est et*) videtur ortum.

ibid. 32 (237, 24): *fraudari indulgentissimus princeps ea gratia neminem voluit, quo minus omnia, quaqua odium eius pervaserat, spectaculum tyrannici funeris expiaret.*

Quaqua, quod Baehrens scripsit, verum esse non potest. nam pro eo semper hi oratores *quacumque* dicunt: IV 20 (131, 5) quacumque se litorum sinus flectunt; V 16 (143, 16) quacumque fugeret; VI 1 (148, 28) quacumque Fama — percrebruit; IX 19 (207, 2) quacumque numen tuum tardo molimine currus inveheretur; 19 (207, 20) quacumque progressus es. eodem modo *quocumque* iungunt illi cum enuntiato, vitant *quoquo*: IV 16 (127, 28) iam quocumque*) oculos circumtuli; XII 37 (305, 3) quocumque tulisses gradum. *quoquo* bis legitur, sed instar pronominis indefiniti positum iunctumque cum *modo*: III 16 (113, 30) illud quo<quo> modo dicam; XI 1 (245, 14) quoquo modo videbar honorem onere pensare.

Itaque si in M *quam odium quam* scriptum erat, alterum *quam* pro dittographia delendum est et scribendum: 'quominus omnia, *qua* odium eius pervaserat, — expiaret'. hoc sententiae sufficit et olim vulgabatur. cf. II 2 (91, 12) per *omnem qua* tendit Euphratem; 5 (93, 24) et nivibus passim fluere qua campus est; V 6 (136, 19) cum tot interim qua terras circumfluit litora solveret; 10 (139, 13) toto orbe terrarum non modo qua Romanus fuerat virtute vestra recepto sed etiam qua hostilis edomito; 18 (145, 6) si fiduciam pervagandi qua patebat habuisset; X 35 (303, 8) late qua visus agi poterat occuparant.

ibid. 32 (238, 21): *sic vota hominum metu interclausa turbidi aliquid egerunt, cum cumulata ruperunt.*

Forma *interclausa* non credo oratorem usum esse; nam

---

*) Sic ABCV; solus egregius ille Bertiniensis *quoquo,* sive neglegentia librarii, sive interpolatione.

paulo supra c. 28 (234, 25) legitur iusta forma 'interclusa fuga'. cf. praeterea V 12 (140, 18) interclusis — cuneis; VIII 6 (185, 6) interclusis — meatibus. item constanter reperitur *inclusus*, *occlusus*, *exclusus*, *praecludo*. *interclausa* librarius scripsisse videtur diviso verbo in *inter* et *clusa*. itaque restituendum erit, quod iam in BW extat, *interclusa*.

Deinde *ruperunt* vix est incolume. desideratur verbum copulatum, velut *<pro>ruperunt*. cf. X 16 (205, 5) ut ex inveterato illo torpore — subito prorumperet; XI 1 (244, 21) *prorumpens* licet huius muneris gaudium; VII 2 (161, 10) immanesque Gothorum copias Ponti faucibus et Histri ore *proruptas*.

ibid. 36 (241, 29): *cuius ita iam uberes scatent laudes, ut plenae possent videri, nisi coepisse et partem cogitaremus.*

Locus quin aeger sit, minime dubito. nam non *partem*, sed *patrem* est codicum scriptura, quae non est cur mutetur. deinde *et* = *etiam* minus est his oratoribus familiare. ego lacuna sententiam laborare mihi persuadeo et haec scripta fuisse existimo: 'nisi coepisse <eas sciremus> et patrem cogitaremus'. cf. X 3 (215, 19): alter iam consulatum, iam venerationem sui, iam patrem sentiens — declarat mox victorem.

ibid. 37 (242, 10): *narravit ubique exhausta bella, et hoc ad tuam gratiam, non ad sui ostentationem: quam agilis excipiendo hoste, quam resistenti vehemens, quam facilis supplantanti.*

Quam agilis Baehrens scripsit pro *qualis* M, cum Eyssenhardt *quam validus* proposuisset. mihi non videtur scriptura tradita esse corrupta. nam *qualis* intellegendum esse sensu *quam gravis* patet et ex huius loci verbis et ex c. X (p. 215, 26): 'quorum alter iam obterendis hostibus gravis terrorem paternum — derivare ad nomen suum coepit'. mox *supplantanti* Baehrens ex A recepit, quod eum recte fecisse non puto. immo quid *supplantandi* verbum hic sibi velit non video. at prorsus conveniens esse sententiae *supplicanti*, quod BCVW praebent, facile intellego. iuvenis enim ut hosti resistenti vehemens fuisse dicitur, ita supplicanti sive veniam petenti mitis et exorabilis.

ibid. 37 (242, 24): *temperet modo dexterae, manu parcat et sit aliquid quaesumus, in quo te iterum nolit imitari.*

Dativum *manu* Baehrens ex A et Bertiniensi protraxit; olim *manui* legebatur, ut est in BCVW. vulgatam recte se habere ego pro certo habeo; nam dativum in *u* exeuntem ignorant omnino hi oratores; cf. IV 6 (121, 14) praeceptorem huic conventui — elegit; 9 (123, 8) omnium hominum aspectui promptius; VI 9 (155, 26) receptui canere; 14 (159, 26) auferre domui tuae fata potuerunt; VII 20 (176, 8) signum receptui dedisti; 19 (175, 32) supererat ascensui; IX 10 (200, 20) et adesset eventui; 12 (202, 6) usui pecudum praeparata; 20 (208, 5) senatui auctoritatem — reddidisti; XI 24 (264, 10) senatui — reddideris dignitatem.

Item X 5 (217, 12) 'non terror obtentui (sic BW; *obtentu* cett.) est' pro vera lectione habeo.

ibid. 38 (243, 9): *quid igitur his temporibus fortunatius evenit beneficio Constantini maximi, qui tam mature nobis Caesares dedit, ut utamur maximis eorum commodis et integra aetas supersit.*

Evenit Baehrens scripsit pro *cum*, quod in codicibus extat, satis ille audacter. nam quis *evenit* ex *cum* extitisse in membranis credere volet? melius editores priores, qui *cum* pro interpolato delebant. et addunt librarii haud raro praepositiones de suo; cf. III 3 (104, 12) illos [a] sacris certaminibus accitos; VI 6 (152, 24) et [in A] pinnis pulcrae alitis eminentem. certe defectus verbi offensioni esse non potest. similia satis frequenter apud hos oratores legimus; cf. III 8 (108, 18) quid simile concitus equus aut velivola navis? IX 19 (207, 1) sed quid ego hucusque iocularia? XI 14 (255, 15) quomodo tam multa tam brevi tempore? 16 (257, 5) unde illud Crassi celebre dictum. quin etiam XI 15 (256, 22): 'quid? quod nihil speranti mihi de honoris augmento — perfertur nuntius consulem me creatum sine impendio, quod iam diu paucis; sine labore, quod nunquam; sine petitione, quod nemini <evenit>' Baehrensium praeter necessitatem *evenit* adiecisse arbitror.

Ceterum praepositio interpolata mihi videtur VI 2 (150, 11): 'ut quod millesimo anno post urbem conditam evenisse tandem gratulabamur — id [ex] omnibus duret aetatibus, imperatores semper Herculii.' Baehrens enim *ex*<*in*>, quo non utuntur hi panegyristae, dedit, Gruterus et nuper Burkhard '*idem* omnibus' proposuerunt, non probabilius illi, siquidem *is*, non *idem*, excipere solet apud hos oratores enuntiatum relativum, ad quod refertur sententia demonstrativa. cf. II 2 (90, 27) quidquid spiritus et vocis habeamus, omne id in laudibus tuis — absumere; III 16 (114, 9) quod ait

ille Romani carminis primus auctor —, id nunc longius longiusque protendere licet; IV 7 (121, 22) quarum enim artium — magnis hominibus ingeneratus ardor fuit, earum etiam consecrata existere ad posteros monimenta voluerunt; 18 (129, 13) quod in Aegaeo mari semel contigit —, eius nunc simile — evenire; VII 5 (163, 18) ut quorum portas fluctus alluerat, ei quo mare tangerent perdidissent; X 14 (224, 17) et cuius munera in alios influere iam possunt, in eum ipsum tua munera redundarunt; 18 (227, 22) qui hoc poterat non timere, dubitare quisquam potest eum per omnia subnixum deo vadere; XI 10 (252, 27) quidquid enim alii in cupiditates proprias prodigebant, id omne nunc in usus publicos reservatur; 27 (266, 21) et cuius armis vitam suam impugnatam sciebat, mortem eius ornavit; XII 11 (281, 7) quidquid aufert Halanus, id olim desiderabit Arcadius; 26 (295, 5) quidquid undecunque converrerat, id nobis sibique periturum — congerebat.

Inde id etiam videre licet recte a w scriptum esse IX 12 (201, 27): 'cuius enim potentiae fuit hostibus arma deripere, e i u s (*cuius* M, ad *cuius enim* aberrando) humanitatis deditos ad impunitatem suis <gladiis> alligare', Baehrensium minus recte *huius* dedisse.

Ceterum praepositio delenda videtur etiam in his VII 3 (162, 3): 'stipendiis [i n] ordine emeritis'.

XI 1 (245, 1): *malui* <*e r g o*> *eloquentiam potius quam pietatem erga te officio meo desiderari.*

Sane deest in tradita scriptura particula conclusiva, sed non *ergo*, quod Baehrens scripsit, supplebimus. nam alienum est hoc ab usu Claudii Mamertini, qui auctor est huius panegyrici. is enim aut *igitur* adhibet (secundo sententiae loco) aut *itaque* (in initio enuntiati). quare aut 'i t a q u e malui eloquentiam' aut 'malui i g i t u r eloquentiam' reponendum erit.

ibid. 2 (245, 30): *hic primum editus, hic quasi quoddam salutare humano generi sidus e s o r t u s.*

Facile Baehrens *exortus* mutavit in *es ortus* nec tamen genuinam restituit scripturam. nam existit sic clausula hexametrica s i d u s e s o r t u s, quam vitabant hi oratores. praeterea numquam *es* illi praeposuerunt participio in perfecti indicativo: II 5 (93, 8) passus es; 6 (94, 4) consecutus es; V 13 (141, 6) aggressus es; 13 (141, 18) tutatus es; VI 4 (151, 13) consecutus es; 4 (151, 16) auspicatus es; VII 3 (162, 7) consecutus es; 7 (165, 13) electus es; 12 (169, 14)

adortus es; VIII 7 (186, 8) dignatus es; 8 (186, 17) miratus es; 9 (187, 14) dignatus es; IX 3 (194, 25) transgressus es; 5 (196, 12) aggressus es; 18 (206, 19) passus es; 22 (210, 8) populatus es; X 16 (226, 13) auspicatus es; XII 10 (280, 3) semper exercitus es; 11 (280, 22) deprecatus es; 20 (288, 21) solatus es. itaque *exortus* M retinendum erit et *es* post hoc addendum, ut iam Livineius proposuit.

Quod cum ita sit, recte suppletum esse *es* a w IX 7 (198, 10): 'Mediolanum ingressus <es>' dicemus.

ibid. 2 (246, 7): *ac licet, maxime imperator, publico iudicio et nomine agere tibi gratias debeam, tamen illa quae pro summa re domi forisque gessisti nunc ex parte maxima praetermittam, ut quanto ocius ad ea quae p r o r e sunt perveniat oratio.*

Pro re perperam Baehrensium scripsisse pro *proprie* M per se patet et dixit C. Schenkl, qui '*proprie* <*dicenda*> sunt' legendum existimavit. sed certa ea lectio non videtur, si quidem *proprius* apud hos oratores frequens est, *proprie* nusquam apparet. quod eo magis valet, quod *peculiariter* aliquotiens eo sensu ab iis adhibetur; cf. V 21 (148, 1) cuius nomine mihi peculiariter gratulandum; VIII 9 (187, 18) neque enim parvi negotii est imperatorem totius orbis pro se peculiariter rogare; IV 2 (117, 26).

Quae cum ita sint, revertendum censeo ad scripturam editionum priorum, quae et ipsa sententiae satisfacit: 'ut quanto ocius ad ea quae p r o p r i a sunt perveniat oratio'.

ibid. 8 (251, 3): *qua dignitate describes — principem nostrum — in barbaricum solum terrorem bellicum trepidationes fugas [f o r m i d i n e s] obserentem.*

Formidines seclusit Baehrens; qua in re ei non assentior. nam talis synonymorum coacervatio minime dedecet oratorem, ut hoc loco est, concitatum et magna loquentem. praeterea admonendum videtur aliquotiens illa *fuga formido* etiam apud Livium reperiri coniuncta: 7, 37, 16 tantumque fugae ac formidinis fuit; 10, 14, 20 fugae formidinisque Samnites implevit; 10, 28, 16 prae se agere formidinem ac fugam caedemque ac cruorem; 22, 38, 3 sese fugae atque formidinis ergo non abituros. fortasse tales loci oratoris animo obversati sunt.

ibid. 9 (251, 10): *Epirotae ad incitas intolerandi tributi mole depressi providentia, imperator, tua non modo miserias*

exuerunt, sed amplam etiam atque opulentam reduxere fortunam.

Reduxere egregie scripsit Baehrens pro *revexere*; nam *repperere* w mera est interpolatio. simili personificatione idem orator usus cap. 23 (263, 6) dixit: 'tu — exulantes relegatasque virtutes ad rem publicam postliminio reduxisti'. verba illa etiam alibi occurrunt confusa, velut apud Livium 44, 26, 10: secum advexisset (*adduxisset* V). miror S. Brandtium damnata Baehrensii emendatione proposuisse (Beiträge zur Kritik der gallischen Panegyriker, Rhen. Mus. vol. 63 [1883] p. 603—611): 'sed <ad> amplam etiam atque opulentam resurrexere fortunam'. nam ut omittam audaciorem esse hanc scripturae traditae mutationem et propter *exuerunt* aequabilitatis gratia verbum transitivum desiderari, *ad aliquid* neque *resurgere* neque *consurgere* dicere solent hi oratores; cf. IV 18 (129, 10): cum videat omnia — hac felicitate saeculi resurgentia; 18 (129, 27) quo calore solis tot depressae imbribus segetes resurgunt; V 21 (148, 5) templorum instauratione consurgit; VII 22 (178, 12) hanc fortunatissinam civitatem cunctis moenibus resurgentem; 22 (178, 23) circa tua — vestigia urbes et templa consurgunt; VIII 11 (189, 25) ita nos nimia mole depressi levato onere consurgimus; XI 10 (252, 11) magnifico cultu non privatas aedes, sed publica tecta surgentia. ceterum cf. Cic. de dom. 17 ut — ubertas agrorum, frugum copia, spes otii, tranquillitas animorum, iudicia, leges, concordia populi, senatus auctoritas mecum simul reducta videantur; hist. Aug. v. Max. et Balb. 17, 4 et vitam et mores et libertatem et spem successionum atque heredum reduxistis.

ibid. 11 (253, 9): *neque enim ei parandae sunt picturatae marmorum crustae —, qui maiorem anni partem in nuda humo cubet — ; neque turbae institorum ac deliciae, cui tam pauca ministranda sunt; neque impensus epularum ei, qui saepius statarium prandium ad necessitatem humani corporis capiat gaudens castrensi cibo, ministerio obvio et poculo fortuito.*

Pro *picturatae* in M fuit *picture.* cum singula verba interdum inveniantur in hoc codice una aut duobus litteris additis extenta, etiam de *picta[r]e* = 'pictae' h. l. cogitare licet. mox prorsus temere Baehrens codicum memoriam deseruit scribendo *institorum ac deliciae* pro *institutorum ad delicias* M; nam hoc sensu est vel optimo. item *institutus ad* firmatur usu horum scriptorum satis; cf. III 7 (107, 19) etiamsi vos idem parens eademque mater ad istam concor-

diam naturae legibus inbuissent; V 12 (140, 22) ad munia nautica — eruditis; cf. etiam Amm. Marc. 14, 1, 2 qui paulatim eruditiores facti — ad nocendum; 15, 8, 2 illi in adsentationem nimiam eruditi; 18, 6, 22 ad tolerandam asperitatem diuturnis casibus erudita; 23, 6, 83 et ad pulveres Martios erudita; 29, 1, 27 iamque eruditior ad laedendum — saeviebat. vide meas *Cur. Amm.* p. 69. postremo *impensus* Baehrens dedit pro *tempus* M. falsum esse illud *impensus* vel eo cognoscitur, quod hoc substantivum omnino alienum est ab his scriptoribus, qui pro eo *impendium* constanter adhibent: VIII 6 (189, 23) numquam respondet impendiis; XI 10 (252, 20) consulem me creatum sine impendio; XII 13 (283, 4) et impendia palatina minuendo; 26 (295, 3) nec desit sumptus impendiis.

ibid. 15 (256, 9): *quid secutus sit ipse scit et quae cuncta consilia eius gaudet formare divinitas.*

Temere hoc quoque loco Baehrens traditam scripturam deseruit proque *quaecumque* M *quae cuncta* dedit. si coniectura opus esset, minore negotio emendaretur 'et quae [con que] consilia eius'; nunc vero *quaecumque* nihil est offensioni. nam orator numen Iuliano amicum definire cum nolit, in universum dicit *quaecumque* — *divinitas* (i. e. quisquis deorum). cf. IX 22 (290, 18) quae divinitas (= quis deus) perpetuo vigens motu?

ibid. 16 (p. 257, 5): *cum peteret consulatum et forte cum Scaevola socero per vias urbis incederet nec praesente gravissimo et severissimo viro blandiri populo, palpare obvios et artes petitorias auderet exercere, 'quaeso' inquit, 'Muci, paulisper abscedas meque comitatu tuo molestari putes; impedis honorem meum: te spectante ineptus esse non possum'.*

Meque — molestari Baehrensius scripsit; in M inest *nec — honestari.* quamquam apta sententia efficitur Baehrensii illa emendatione, tamen non puto eam recipiendam fuisse. nam tradita scriptura facile tolerari potest, si *me* inserueris vel post *nec*, quod ego suadeo, vel post *tuo*, quod a w factum est. adversatur vero illi *molestari* horum oratorum usus loquendi; nam alienum est ab iis hoc verbum, familiaris autem iis vox *honestandi.* cf. VII 10 (168, 3) triumphantium currus honestassent; 21 (177, 20) delubra tantis donariis honestasti; X 31 (236, 32) introitum illum honestaverunt; XI 1 (245, 4) honoribus, quibus me prius honestaras; 25 (265, 13) honoribus honestantur; XII 20 (288, 23) ille cohonestatus affatu.

ibid. 20 (260, 23): *ad fores eorum qui regiis cupiditatibus serviebant* c r e b r o s *patriciae gentis viros cerneres ab huius modi dedecore non imbri non gelu, non amaritudine ipsius iniuriae deterreri.*

Crebros, quod Baehrens dedit pro *ternos* M, est quod suspectes. nam *crebri* = *multi* quamquam bis de rebus in his orationibus est positum (VII 19 p. 175, 24 creberrimae turres; XI 29 p. 267, 22 crebris saltibus), non legitur ibi adhibitum de hominibus; nam XII 21 (290, 1) 'quod c r e b e r e g r e s s u expectantibus populis te fateris' aliter adiectivum illud se habere apparet. sane et alii loco corrupto opitulari conati sunt, sed non cum fructu, quod videam. fortasse *ternos* nihil est aliud nisi *cern'es* i. e. *cerneres* a librario ex sequentibus praeceptum.

ibid. 21 (261, 13): *quippe ei a fucatis* a d u l a t u u m *venenis quod periculum est, qui aures etiam veris laudibus gravatus impartiat?*

Adulatuum male Baehrens scripsit pro *adulantium* M. nam scriptura tradita nihil prorsus offendit et substantivum *adulatus* alienum est ab his oratoribus, qui forma *adulatio* utuntur. cf. VI 8 (154, 11) non adulationibus fabulosis, sed aequatis virtutibus; VII 16 (173, 11) cui non blandita nec vendita servit adulatio, sed simplex et sincera devotio; VIII 3 (182, 2) non adulatione compulsi.

ibid. 13 (263, 20): *ipsi* n a v i t a e, *qui nocturnos cursus ad astra moderantur, stellarum* m o m i n i b u s *abstinebant.*

Bis hoc loco Baehrens male rem gessit. primum formam vetustam *navitae* falso posuit, quamquam traditam illam codice A. nam *nautae* hic scriptum fuisse, ut legitur in BCVW, inde concludere possumus, quod hanc alibi (cf. XII 24 p. 293, 5) norunt hi oratores formam quodque iidem respuunt omnino formas verborum obsoletas. cf. quae dixi de formis *inermus* et *hilarus* supra.

Deinde non recte invenit ille *mominibus* pro *nominibus* M. nam substantivo *momen* abstinent hi panegyristae, cum saepe utantur voce *motus* et bis *momentum*. vulgata *nominibus* sententiae prorsus convenit. nam cum nautae *nominibus* stellarum dicuntur abstinuisse, dicuntur de stellis non locuti esse i. e. eas prorsus non curasse, eas neglexisse.

ibid. 24 (263, 27): *ceterorum regum atque imperatorum caritates admodum rarae* n e u t i q u a m *diuturnae fuerunt.*

Neutiquam, quamquam est sensu aptum, non probabiliter scripsit h. l. Baehrens pro *ne unquam*, quod M habuit. nam hi panegyristae abstinent prorsus eo adverbio. ego ***nunquam*** olim hic fuisse mihi persuadeo. librarius addita littera vocem in *n<e> **unquam*** distraxit, quemadmodum III 8 (108, 25) *quod* dispescuit addita *i* littera in *quo* *<i>d* (sic ABV; *quod id* Bert. falso). cf. etiam III 19 (116, 19) ornetis (ornet his M); VII 13 (170, 1) in hosticum (AW Bert.; *in hostem cum* BCV); VIII 2 (180, 30) assistat (assist<it>at M); IX 8 (199, 5) invehendis (in <e>vehendis AW Bert.). item X 33 (239, 23) dubium esse vix potest, quin cum Iaegero emendandum sit: 'pro portione perman[at]et. vicissim necesse est — redundare'.

ibid. 24 (263, 29): *in summis enim hominum habitavere pectoribus subita et forte nata benivolentia provocatae.*

Forte nata Baehrens edidit Acidalium secutus, spreta Rittershusii emendatione *fortuita* pro *fortunata* M. ad traditam hanc scripturam propius quidem *forte nata* accedit, sed tamen ab oratore scriptum non videtur. nam neque is neque alii panegyristae *forte natus* pro *fortuitus* usquam dixerunt; cf. XI 11 (253, 16) ministerio obvio et poculo fortuito; 23 (262, 28) fortuitis vitibus iuga collium vestiuntur; — III 7 (107, 26) non fortuita in vobis est germanitatis — similitudo; VII 7 (161, 27) non fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis favoris ventus te principem fecit; VIII 2 (181, 6) ostendere id quod indultum sit non fortuitae felicitatis sed iustae fuisse clementiae. tum illi *subita* concinnius adicitur *fortuita* quam *forte nata*. accedit quod hanc ipsam adiectivorum coniunctionem auctor huius panegyrici, Claudius Mamertinus, ex Cicerone sumere potuit, quem saepius sequitur; cf. de or. 1, 33, 150 subitam et fortuitam orationem commendatio et cogitatio facile vincit. recurrunt eadem adiectiva iuncta in Dial. de orat. 10: nec excusatur — fortuitae et subitae dictionis impetu. cf. etiam Tac. Germ. 11 nisi quid fortuitum et subitum; ann. 15, 58. itaque adsentior S. Brandtio Rittershusii lectionem revocanti.

Item XII 10 (280, 1): 'ut indefessa vertigo caelum rotat, ut maria aestibus inquieta (sic w, *inquinata* M) sunt, ut stare sol nescit' *inquieta* praestare et Burkhardi coniecturae *inquietata* puto et illi *inclinata,* quod Baehrens invenit. nam *inclinata* sensu est omnino pravo; *inquietata*, etsi sententiam reddit iustam, adiectivi instar positum parum adseritur horum oratorum usu loquendi. praeter *concitus* enim non repperi ullum participium perf. pass. apud eos sic adhibitum. prae-

terea si orator verbum *inquietandi* h. l. adhibere voluisset, certe non dixisset *inquietata sunt*, verum concinnitatis gratia *inquietantur* posuisset (cf. *rotat, nescit*). de *inquietus* cf. VII 5 (163, 28) ita quieto mari navigavit; XI 13 (255, 2) videbunt — principatum — vigiliis inquietum; Hor. carm. 3, 3, 4 neque Auster, dux inquieti turbidus Hadriae; Sen. suas. 2, 1 (p. 532, 9 M.) et huius quoque remigium arcet inquietum omne*) quod circumfluit mare. — corrupta scriptura *inquinata* videtur ex *inquineta* extitisse, littera *n* ex priore syllaba male iterata.

ibid. 26 (265, 16): *quae perpetuae et constantis benevolentiae prima fiducia est, certissima virtutum et maxima principis, veritas, numquam in animo esse suspicacem te audivi.*

Locus corruptus est idemque ad emendandum valde difficilis, praesertim cum varia sit utriusque stirpis M scriptura. nam codices BCVW *suspicatum* servarunt, cum in A *suspicaret* insit. quae Baehrens dedit, vera lectio non videtur. positus enim *te* displicet, et ad relativam sententiam *quae — veritas* desideratur demonstrativa. ego post *in animo* intercidisse quaedam puto et recepto *suspicacem*, quod Baehrens invenit, verba sic expleverim: 'veritas, numquam in animo <tuo defuit, numquam te> esse suspicacem audivi'.

Lacuna foedatus videtur locus, qui paulo infra legitur, c. 27 (p. 266, 6): 'paulo ante a liberatis Galliae provinciis lassus inimicorum capitalium apertis armis et occultis insidiis petebatur'. nam *a liberatis*, quod Baehrens invenit, satis longe discedit a lectione M, quae est *in laceratis*. accedit, quod *laceratis* de regionibus dictum congruit cum horum oratorum sermone. cf. XII 35 (303, 15) hostes venditam operam, laceratam Italiam cogitantes; X 11 (221, 22) urbis funestam illam lacerationem; III 16 (114, 1) undique se barbarae nationes vicissim lacerent; XI 9 (251, 16) lacerae nobilium domus. itaque retenta codicum memoria lacunam post *provinciis* subesse putaverim. eam in hunc modum explere licet: 'paulo ante in laceratis Galliae provinciis <caedendo hostis> lassus . . . petebatur'.

XII 2 (272, 24): *gratis agebant dolentes et tyrannum non praedicasse tyrannidis accusatio vocabatur.*

Gratis sane testatur A ex eoque pendens Bert., qui formam adscivit usitatiorem *grates*, verum altera M propago exhibet *gratias*. usus horum panegyristarum huic alteri favet

*) Sic H. I. Mueller locum edidit, Ottonem secutus.

lectioni; nam constanter scripserunt *gratias agere*, numquam *gratis agere:* II 1 (90, 6) laudes canimus et gratias agimus; III 1 (101, 23) laudes canunt et gratias agunt; VI 2 (149, 20) maximas — vobis — gratias agimus; VII 23 (179, 1) maximas numini tuo gratias ago; VIII 1 (180, 4) gratias ageret; 1 (180, 15) numini tuo gratias agere; 2 (181, 5) in agendis gratiis; 7 (186, 4) pietati tuae gratias agimus; XI 1 (244, 17) quod nunc demum gratias agere exorsus sum; 1 (245, 4) ad agendas gratias; 2 (246, 8) agere tibi gratias debeam; 15 (256, 13) gratias tibi, gratias, imperator, — et plures gratias; cf. et *gratiam referre*: X 27 (233, 22) quam tu umquam gratiam — referes; XI 32 (270, 13) in referenda autem gratia; XII 11 (281, 13) hanc mihi gratiam refers; 41 (308, 13) nec tu debitam gratiam beneficii infitiator abiuras. semel omnino forma *grates* in his orationibus deprehenditur, III 10 (110, 21) 'laudes g r a t e s q u e cantari', aequalitatis, ut vides, causa; cf. et Liv. 7, 36, 7 diis laudes gratesque agunt. fortasse *gratias* etiam in M fuit et scriba A per neglegentiam altero *a* omisso exaravit *gratis.*

ibid. 3 (273, 5): *iacebat innumerabilibus malis aegra — res publica, barbaris nationibus Romano nomini velut quodam diluvio superfusis. sed parcam replicare causas et pacatum u l c u s offendere.*

Antea *vulnus* legebatur pro *vulgus* M; nunc Baehrens codicis Bongarsiani auctoritatem, quae parva est, secutus scripsit *ulcus.* sed nusquam hi oratores calamitates rei publicae comparant cum *ulceribus*, interdum vero eas adsimilant *vulneribus.* cf. VII 14 (171, 4) ut tam profunda vulnera suspensa manu tractem; X 13 (223, 10) Roma tot vulneribus saucia; XII (3 273, 12) altorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo; 24 (293, 14) alta licet vulnera — ostendat Hispanus. cf. etiam Liv. 28, 27, 7 invitus ea tamquam vulnera attingo, sed nisi tacta tractataque sanari non possunt. de vitio librarii cf. XII 41 (309, 9) et corpore vulnus (*vulcius* A) onerare. itaque *vulnus* l. l. legere praestabit.

ibid. 4 (274, 25): *cedat his terris terra Cretensis parvi Iovis gloriata cunabulis et geminis Delos r e p t a t a numinibus et alumno Hercule nobiles Thebae.*

Pro *reptata* Baehrens (Rhen. mus. vol. XXVII p. 222) *praelata* scribendum esse iudicavit, quae scriptura comprobari nequaquam potest. nam tenera eorum numinum significanda

est aetas, quem ad modum in prima parte commemoratur *Iuppiter parvus* et in tertia *Hercules alumnus*. aetas illa cum optime tradito *reptata* exprimatur, prorsus nihil est quod ea lectio mutetur. accedit quod Claudianus, qui saepius respexit et imitatus est hos panegyricos, similem in modum scribit de III. cons. Hon. v. 132 sq., quem locum O. Kehdingio (*De panegyricis Latinis capita quattuor* [1899] p. 33) debeo:

Herculis et Bromii sustentat gloria Thebas,
Haesit Apollineo Delos Latonia partu
Cretaque se iactat tenero r e p t a t a Tonanti.

ibid. 6 (275, 25): *nam cum duo sint quae claros duces faciant, summa virtus summaque felicitas, scire obvium est qua praeditus fuerit felicitate* <*e t v i r t u t e*> *qui te genuit.*

Et virtute supplevit Baehrens, sed hoc addito nihil opus fuit. nam *scire obvium est* explicare licet *scire primum obvium est;* nam de *virtute* imperatoris deinceps orator disserit.

ibid. 10 (279, 26): *gaudent profecto p e r p e t u o d i v i n a motu et iugi agitatione se vegetat aeternitas.*

Consecutio verborum *perpetuo divina* tradita est Bertiniensi solo. sed cum vel errori ea tribuenda sint vel coniecturae, quae Bertiniensis habet solus, non est cur a lectione ceterorum librorum, quae sana est, discedamus. est enim haec: 'gaudent profecto d i v i n a p e r p e t u o motu'.

Idem dicendum est de XII 43 (310, 27), ubi Baehrens Bertiniensem secutus edidit: 'omni severius e s t quaestione'. reponenda erit ceterorum codicum scriptura: 'omni severius quaestione e s t'. paulo infra 43 (311, 1) scripsit Baehrens ex Bertiniensi: 'aliter non potuisset allicere militum societatem, nisi t u i s e a u c t o r a m e n t i finxisset actorem'. non est respuenda aliorum testium scriptura: 'nisi a u c t o r a m e n t i t u i s e f. a.'

Sane etiam XII 8 (278, 15) ordo verborum, qui in ABVW extat, 'nihil tamen b l a n d i t a p l u s praestitit', praeferendus est ei quem Bert. cum C habet 'nihil tamen p l u s b l a n d i t a praestitit', quoniam nihil in eo inest vitiosi.

ibid. 10 (280, 7): *ne tum quidem, cum in altiorem provectus gradum iubere tantum et — parta gloria velut reposito frui posses, honori o p e r a n s remisisti quin omnium castren-*

sium munerum numeros primus — obires, stare pro signis, excubias sorte agere.

Operans Baehrensio debetur, in M fuit *operam.* sed haec scriptura non videtur corrupta esse, nam sine accusativo non utuntur hi oratores verbo *remittendi*: IV 12 (124, 28) etiamsi quaestum remiseris, lucrum est; VII 19 (175, 15); VIII 9 (187, 22). itaque *operam* servare oportet. quod si fecerimus, *honore* — nam ita scriptum est in BCVW — pro interpolato expellendum erit, id quod iam Scheffer suasit. et potuit hoc facile a librario addi, qui ad *reposito* substantivum requirebat.

Similiter X 28 (234, 22) in his 'quod ipsa ratio disponendi exercitus docuit illum, mente perdita implicatoque consilio cum eum pugnae locum caperet' *illum* in M additum puto ab aliquo, qui obiectum ad *docuit* desideraverat neque *homines* subaudiri intellexerat. itaque non consentio cum Baehrensio *ilico* ex *illum* efficienti, praesertim cum adverbio eo nihil opus esse videatur.

ibid. 11 (280, 22): *oblatum imperium deprecatus es; nec id ad speciem tantum qui cogi videreris, sed obnixe et diu et velut impetraturus egisti.*

Qui Baehrens novavit; codices servarunt *tantumq*; *ut.* quoniam saepius *que* a librariis in hisce orationibus est additum, rectius h. l. agemus, si eo deleto *ut* retinebimus, ut ante vulgabatur, i. e. si legemus: 'ad speciem tantum, ut cogi videreris'. ea scriptura etiam usu panegyristarum magis commendatur. librarius autem *que* adiunxit, cum *tantum* illi *speciem* ex aequo positum arbitraretur.

ibid. 12 (282, 11): *illi enim, illi avide regna desiderent, quos soluta legibus vita delectat, quorum crudelitas indemnatos necandi, cupiditas privata rapiendi, libido honesta foedandi ius atque impunitatem requirunt.*

Homines illi non ius, sed ius sublatum, ius nullum requirebant; nam si ius valeret, male cum iis ageretur. itaque emendandum erit: 'ius<titium> atque impunitatem requirunt'. cf. XI, 9 (251, 18) ludicrum lustris omnibus solitum frequentari intermiserat temporis maesti deforme iustitium; XII 24 (292, 25) revolvi illud lustrale iustitium aures tuae respuant.

ibid. 15 (284, 12): *tum nihil abdicandis vitiis adoptandisque virtutibus impensius sentio profuisse quam quod his te*

viris semper dedisti, quos affectare publica deberet imitatio quique quam f a c i l e s t i b i fuissent [s e q u a c e s] discipuli, tam ceteris expetendi essent magistri.

Contendunt critici, utrum *faciles* pro genuino sit habendum et *sequaces* damnandum an *sequaces* retineri oporteat et *faciles* deleri. mihi dubium non est, quin *faciles* orator scripserit et interpres *sequaces* addiderit. nam ut *sequaces* expellatur, suadetur sententiarum concinnitate vel maxime. etenim quem ad modum illis *quam faciles tibi* respondet in sequentibus *tam ceteris expetendi,* ita his *fuissent discipuli* ex adverso positum est *essent magistri.* si huic lectioni praetuleris illam alteram: 'quique quam tibi fuissent s e q u a c e s discipuli', turbatur lepida verborum compositio. etiam paulo infra concinnitatem sectatur orator; cf. v. 19: ut non pro copia sumpti, sed ex copia viderentur optati; v. 26 ut et illi meruerint teneri et isti debuerint cooptari. ceterum de illa notione *facilis* cf. X 37 (242, 13) quam facilis supplicanti; XI 12 (254, 2) ita se facilem ceteris praebuit.

ibid. 17 (286, 21): *quidquid familiaribus tuis tribuis, non e x p e n d i sed potius r e p e n d i putemus.*

Ludit orator verbis *expendi — rependi* inter se oppositis. talis verborum lusus maxime est eius proprius; cf. 15 (284, 19) ut non p r o c o p i a sumpti, sed e x c o p i a viderentur optati; 20 (288, 26) humanitas, inquam, quae tam c l a r a in imperatore quam r a r a est; 24 (292, 20) nolo tamen usquequaque miserorum vel f a c t u m onerare vel f a t u m; 25 (294, 17) et p a r a n d i rabiem p a r t a irritabant; 29 (297, 88) hi in o c u l i s eius atque etiam in o s c u l i s erant; 32 (300, 4) ut et limiti manus suspecta d e c e d e r e t et militi auxiliator a c c e d e r e t; 33 (301, 21) ut ab illis fuerit Romani imperii a p p e t i t a captivitas, ab his r e p e t i t a libertas; 43 (310, 10) ut qui o p p e t e r e timuerat interitum non timeret e x p e t e r e; 7 (276, 25) sed patere ea in laudum tuarum parte constitui, quae s o l e b a n t in aliis s o l a laudari.

Rarius talia apud ceteros panegyristas inveneris; collegi haec exempla: II 1 (89, 17) regem advenam c o n didisse, sed Herculem hospitem c o n secrasse; 10 (97, 18) cum per te regnum r e c e p e r i t Gennoboudes, a te vero munus a c c e p e r i t * *; V 12 (141, 1) nec consilio i n t e r m i s s u m esse bellum, sed desperatione o m i s s u m crederent; VI 10 (156, 9) adeo illic plurimum habuerat a s s e r t a, ubi d e s e r t a maxime vacillavit; IX 5 (196, 26) sed tamen qui non solum praesenti n u m i n i tuo, verum etiam nuntiato n o m i n i ce-

dere debuissent; IX 16 (206, 14) in quo ille non mehercule cogitavit necessitatem resistendi, sed propinquitatem refugiendi; X 17 (225, 25) nisi — quos ipse affeceras, conficiendos filio reservasses; XI 13 (254, 23) saepius proelium quam prandium capessatis; XI 30 (269, 3) illi consularem potestatem per populum acceperunt, nos per Iulianum recepimus. cf. etiam Obs. in script. hist. Aug. p. 37.

Hunc in modum Schenkl supplevit VII 1 (160, 21): 'sed malo orationem meam <requiri> quam respui', quae lectio spernenda non videtur. ipse similiter panegyristen lusisse censuerim IV 2 (115, 25), ubi supplere possis: 'contestatum esse — volo temporarium me dicendi munus atque id ipsum meis studiis peculiariter commodu<m subi>re, non ad incognitam mihi sectam forensium patronorum alienae laudis cupiditate transire'. nam quod Baehrens pro *commodare* M scripsit 'commod<um invol>are' probari vix potest, siquidem verbo *involandi* nusquam sic hi oratores usi sunt.

ibid. 15 (285, 3): *optimos <ille aut> ille ditabat, non etiam diligebat: prodesse noverat, amare nesciebat. tu amicitiam — auro gemmisque redimitam solio recepisti.*

Ille aut Baehrensii est supplementum, sed non probabile, quoniam *ille aut ille* nullo firmari potest horum oratorum loco. praeferendum videtur 'optimos <hic aut> ille ditabat'; cf. XII 9 (279, 3) homines his aut illis beneficiis apprehendebas; III 13 (112, 20) quos huc atque illuc tot urbes — vocabant; IX 10 (200, 27) hinc atque inde clamarunt; XII 35 (303, 11) et effusis hinc inde iaculorum sagittarumque nimbis.

ibid. 24 (292, 20): *nolo tamen usquequaque miserorum vel factum onerare vel fatum, qui, dum carnifici purpurato tua se et affinitate et favore iactanti infeliciter credunt, gravissimum omnium nefas fecerunt affectu innocentium.*

In *tua* sequente *favore* offendo; nam id recte se ita haberet, si utrumque substantivum generis feminini esset. haud dubie prius *et* est tollendum; sic sublata distributione ferri potest *tua affinitate et favore.* cf. II, 13 (100, 3) diversosque montes et auspicia ceperunt; IV 8 (122, 21) ad antiquam firmitatem cultumque; 21 (131, 20) Persicos arcus pharetrasque; VII 1 (161, 2) in suo quemque templo ac sede veneramur; 2 (161, 25) omisso ambitu et suffragatione.

Mox sequitur hoc: 'nam cum revolvi illud lustrale iustitium aures tuae respuant, laudes petant gloriaeque intersit

ad praesentium commendationem bonorum mala decursa reputari, contra vero clementia summa in beneficiis suis malit imminui quam tristium enumeratione cumulari: necesse me erit vel tacentem publica incommoda vel loquentem aut ingratum virtuti aut onerosum esse pietati'. ibi *summa in beneficiis suis* Baehrens novavit pro *summam beneficii sui* M; antea *clementia summa beneficium suum* vulgabatur. neutra lectione locus videtur in integrum restitutus. nam, ut omittamus violenter sic mutatam codicis memoriam, vocem *clementia* oratorem nudam posuisse propter illa *laudes* et *gloriae* coniectare possumus. quod si recte statuimus, *summam* M retinendum erit et cum *beneficii sui* coniungendum, quae prorsus apta est lectio. cum illis 'clementia summam beneficii sui malit imminui'. cf. VII 23 (178, 28) quoniam ad summam votorum meorum tua dignatione perveni; X 19 (228, 6) ut victoriarum tuarum non summam evolveret; XII 17 (286, 20) geramus tibi morem et beneficiorum summas tuorum pro tua voluntate ducentes, quidquid familiaribus tuis tribuis, — rependi putemus; IX 15 (204, 11) vulnera illi sua venderet? belli iam paene confecti summam concederet?

ibid. 24 (293, 5): *nam si dulcis in bonis miseriarum recordatio est, si nautas tempestatum, si medicatos iuvat meminisse morborum: cur non tu quoque mala nostra audias, ut tua beneficia recognoscas.*

Medicatos cur Baehrens scripserit pro *medicos* M, non video. nam hoc sententiae loci non repugnat, immo convenienter illi *nautas* additur. nam quem ad modum gaudent nautae tempestatum recordatione, quibus iactati naves apte gubernando et agendo servarunt, aut medici memoria morborum, quibus homines aegrotantes arte sua et doctrina liberarunt, ita imperator laetus audire debet mala hominum subditorum, quae suis ipse beneficiis propulit. rem dirimit, quod ignorant hi panegyristae *medicare* pro *sanare:* VIII 5 (184, 2) medici non aspernantur vulnera inspicere, quae sanant; 11 (189, 21) o divinam — tuam in sananda civitate medicinam; 11 (189, 27) aegra corpora — sanantur; X 9 (220, 17) ut quod leniri quam resecari malles, mitior medicina sanaret; 25 (232, 24) quem non potuerat — formido sanare; 33 (239, 11) bimestris fere cura sanavit. sanavit dico? — itaque hoc quoque loco restituenda erit tradita lectio. oratori obversatus videtur locus VIII 5 (184, 1): ut, quem ad modum praestantes scientia medici non aspernantur vulnera inspicere quae sanant, ita nunc tu paulisper audias Aeduorum labores quos sustulisti.

ibid. 25 (294, 16): *crescebat in dies habendi fames et p a r i e n d i rabiem parta irritabant.*

Pariendi non fuit in M, sed *parandi; pariendi* Baehrens novavit, sed non merito. cf. XII 28 (296, 12) et pararet innoxias nullo pauperiore divitias; XI 11 (253, 9) neque enim ei parandae sunt picturatae marmorum crustae; 21 (261, 20) adhibeto tantum tibi gratuitas et paratu facillimas comites. si participium *partus* exceperis, hi oratores nusquam omnino sensu 'adquirere' adhibuerunt verbum *pariendi.*

ibid. 28 (296, 10): *nec enim, qui regibus mos est, e x e r e n d i s invigilabat metallis, ut latentia naturae bona in usum arcesseret.*

Cur *exerendis* pro *exercendis*, quod in M fuit, scribatur, nihil video causae; nam *exercere metalla* auctoritate adseritur ipsius Livii: 45, 18, 4 nam neque sine publicano exerceri posse (metallum Macedonicum); 45, 29, 11 metalla quoque auri atque argenti non exerceri. cf. etiam paneg. V 9 (138, 18) ille praedator exercitio squalidus ruris operatur.

ibid. 31 (298, 29): *an sustinere te coram — neglegentissimus vernula — potuisset? non statim t o t u m subisset hominem praeteriti sui tuique reputatio?*

Non est cur suspectetur *totum* et in *totius*, quod Baehrens fecit, mutetur. nam similiter hi scriptores etiam alibi dixerunt; cf. X 24 (231, 18) adeo totus in metum venit, ut ultro daret; VII 23 (179, 4) in quem me totum transtulit pietas; XII 43 (310, 16) totus denique homo aptatur ad meritum; XI 14 (255, 19) totus commodis publicis vacat.

ibid. 32 (300, 4): *commilitii munus indulges, ut et limiti manus suspecta decederet et militi auxiliator accederet. h a c tua benignitate pellectae omnes Scythicae nationes — confluebant.*

Hac scripsit Baehrens auctoritate nimirum A nisus, qui habet *ac*, cum in BCVW *qua* insit. sed illud *ac* dittographum esse et ex '*ac*cederet' ortum facile concedes proque vera lectione *qua* amplecteris, quod altera illa M propagine servatur et antea vulgabatur.

ibid. 44 (311, 26): *haec potius, haec gesta sollertes manus ducant; his fora, his templa decorentur; haec ebore reddantur, haec marmore, haec in coloribus vivant, haec i n a e r a m o v e a n t u r, haec gemmis augeant pretium.*

De verbis *in aera moveantur* ego non dubito. nam interpretor 'haec in aera transeant' h. e. ibi incidantur. audacter hoc sane dictum, sed quod tribui possit huic oratori. plurali *aera* respondent aequaliter plur. *coloribus* et *gemmis*.

ibid. 45 (312, 19): *clementia tua, imperator, quo caelo, quo pigmento, quo aere aurave ducetur?*

Ceterorum codicum neglecta turba hoc quoque loco Bertiniensem suum secutus est Baehrens ducem, sed nihil aliud verbis intulit nisi librarii inane commentum. qui cum in verborum consecutione minus frequenti *clementia, imperator, tua* offendisset, de suo exaravit *clementia tua, imperator*. etenim ferendam esse M scripturam testantur loci XII 6 (275, 24) patrem, imperator, tuum de te aestimemus; VIII 11 (189, 21) o divinam, imperator, tuam in sananda civitate medicinam; XI 9 (251, 11) providentia, imperator, tua non modo miserias exuerunt; V 19 (146, 22) in ipso, Caesar, tuo vultu videbant omnium signa virtutum; VI 11 (157, 6) o caelestem, imperator aeterne, pietatem tuam.

ibid. 45 (312, 23): *paucis Maurorum hostium — et duobus an tribus furiosi gladiatoris lanistis in belli piaculum caesis, reliquos omnes venia complexa velut quodam materno sinu clausit.*

An Baehrensium scripsisse iure mireris; nam *aut* codicum memoria commendatur, quoniam in BCVW hoc ipsum est, in A vero *autribus* legitur, quod nihil sane est aliud nisi *aut tribus*. sed etiam horum oratorum usu *aut* firmatur, si quidem *an* in solis interrogationibus ab iis ponitur. cf. etiam XI 9 (251, 26): 'unis aut binis epistulis', quod Baehrens attrectare non est ausus, quamquam in ABV *uni sambinis* habetur. sane Baehrensius codices secutus XI 24 (264, 14) edidit: 'duo an tria ferme ex vetere memoria amicorum paria proferuntur', sed etiam hic *aut* fuisse scriptum e Ciceronis loco de amic. 3, 15 concludere possumus, ubi sic est; 'ex omnibus saeculis vix tria aut quattuor nominantur paria amicorum'. *an* pro *aut* dedisse librarium puto, qui, ut in praecedentibus enuntiatis, ita h. l. interrogationem subesse falso iudicaverit. itaque recte in editionibus *aut* utroque panegyricorum loco fuisse mihi persuadeo.

